ANIMADVERSIONES CRITICAE,
ANTONII OCTAVIANI
IN
LAUNOJI COMMENTARIUM DE MATRIMONIO.

NEAPOLI,
EX REGIA TYPOGRAPHIA
MDCCCXXIX.

PROOEMIUM AUCTORIS.

Ioannem Launojum, Parisiensem Theologum, inter illustriores saeculi XVII. Ecclesiasticos Scriptores non ultimum tenuisse locum, magnamque acris ingenii, ac multiplicis eruditionis laudem consecutum fuisse, nemo unus est, qui ambigere possit. At omnes tamen Viri sapientes intemperantioris Criticae usum in eo jure meritoque criminantur tum ob alia plura, tum praecipue quod Theologicam Aquinatis Doctoris Summam inter Opera spuria ablegare, falsoque illi tributam, universa Eruditorum turba reclaman-

te , asserere non est veritus (1). *Sed illud in eodem maxime reprehendendum censent , quod nimia aliter ab aliis sentiendi cupidine captus, et exquisitam rerum sacrarum peritiam praeter ceteros ostentandi libidine abreptus, nonnullas sententias , ac placita, quae apud cunctos Theologos certa atque explorata semper sunt habita , oppugnare vehementer studuerit. Atque hoc vehemens obtrectandi studium in libro praesertim , cui titulus* Regia in matrimonium potestas , *manifestissime se prodit : ubi praeter alia , quae ibidem peccat , duo illa minime omnium sunt ferenda , unum quod Ecclesiae* impedimenta , *ut ajunt* , dirimentia *statuendi potestatem omnino denegat, alterum quod ex Novo Foedere , ac veterum*

(1) *Observatione* 8. Operis inscripti : *Veneranda Rom. Eccles. circa Simoniam traditio.*

Patrum Traditione colligi ait, coniugii vinculum adulterii caussa dissolvi posse; ideoque Tridentinae Synodi decreta sibi maxime adversa audaci nimis interpretatione in suam sententiam traducere nititur.

Equidem non ignoramus quosdam magni nominis Theologos, peculiaribus editis scriptis, citatum Launoji opus confutandum suscepisse; quosdam vero alios in suis de matrimonio Commentariis adversus istum Scriptorem stilum acuentes vetustam Ecclesiae doctrinam, ac Tridentinos canones ab importunis ejus cavillationibus vindicare conatos esse. Verum licet doctis horum Auctorum conatibus plurimum nos debere ingenue fateamur, ipsorumque labor atque industria haud satis digne commendari queant; dissimulandum tamen minime putamus, eos omnibus, quae jamdiu objecerat Launojus, non plene et abunde adhuc

satisfecisse, neque eo rem totam perducere valuisse, ut Launojanae sententiae propugnatoribus penitus os occluderetur. Atque inde factum dolemus, ut hujus saeculi initio exorta gravi de divortiis controversia post novas perlatas Gallicanas in Italia leges, e nostratibus quoque non pauci vel ex iis, qui Catholicae Religionis studiosos se esse gloriabantur, Parisiensis Theologi exstiterint defensores; adeoque ejus auctoritate decepti fuerint, ut illum solum sapere dicerent, ipsiusque eruditionem ubique mirifice praedicarent.

Itaque cum haec ita sint, haud nobis verendum erit, ne inanem curam, vanumque laborem suscipere videamur, si post tot doctorum Virorum lucubrationes ea, quae diximus, Launojani operis capita praecipua denuo refellere pro virili conemur; atque ad hujusmodi materiam uberius illustrandam, simul-

que adversariorum facilius vincendam pervicaciam, quae nondum ab aliis animadversa, vel non satis expensa, et ad rationis normam exacta fuere, diligentius hoc libello persequi aggrediamur. Qua quidem in re utrum propositum aliqua saltem ex parte, si minus omnino adsecuti erimus, lectorum esto, non nostrum judicium.

ERR.			CORR.
pag.	lin.		
16.	3.	*moechatur*,	*et aliam duxerit, moechatur*
116.	8.	de alteris nuptiis.	de prohibendis alteris nuptiis
152.	15.	ab is	ab iis
159.	14.	eorumque	earumque

ANIMADVERSIONES

CRITICAE

IN

LAUNOJI

COMMENTARIUM

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

Launoji de divortiis sententia exponitur. Quanam in re a Protestantium errore differat.

Cum non omnia, quae reprehensione digna in Launoji libro *de Regia in matrimonium potestate* occurrunt, sed duo illa tantum loca in quibus Auctor, quemadmodum praefati sumus, a veritate longe magis aberravit, notare atque arguere animo destinaverimus; in hac nostra concertatione diversum ab eo, quo Gallus usus est Theologus, ordinem sequentes primum de perpetua connubialis vinculi firmitate, deinde de Ecclesiae in impedimentis matrimonii constituendis potestate disputabimus.

Atque ut initio, quid de priori quaestione docuerit Launojus, breviter ac dilucide enarremus, is primo statuit (1) Christum apud Matthaeum Pharisaeorum interrogationi respondentem indulsisse viro non modo conjugis adulterae dimissionem, sed alteras quoque nuptias. Deinde

(1) *Part.* III. *artic.* 1. *cap.* 5.

sat prolixa enumeratione Scriptores Graecos, et Latinos recenset, qui a prima Ecclesiae aetate ad Tridentinum usque Concilium floruerunt, deque ea re in suis operibus verba fecerunt: totusque in eo est, ut lectoribus persuadeat, Graecos semper docuisse ex Evangelica lege licere viris uxores adulteras deserere, et nova sectari conjugia; Latinos vero, paucis exceptis, in eadem per undecim circiter saecula fuisse sententia, tantumque post Magistrum, et Aquinatem plerosque Scholasticos unius Augustini auctoritate innixos etiam adulterii caussa non posse solvi conjugium tradere coepisse. Demum Tridentinum canonem, quo anathema iis infligitur, qui Ecclesiam errare affirmant, cum propter adulterium haud dirimi matrimonii vinculum docet, non ad Fidem, sed ad meram disciplinam spectare concludit: idque tum ex contrariis, ut putat, veterum testimoniis colligit, tum potissimum ex hoc probat, quod Concilii Patres eos damnare antea volentes, qui conjugium adulterii crimine abrumpi dicerent, Venetorum postea Oratorum rogatu in eam formam, qua nunc exstat, canonem mutare sat habuerunt (1).

(1) Eadem prope, quae Launojus, sentit noster Ca-

Haec est summa Launojanae de divortiis sententiae: quae quidem licet in Evangelici textus explanatione ad recentiorum haereticorum doctrinam quam maxime accedat, quod ad alia tamen longe ab illa distare dicenda est. Nam cum Lutheri, et Calvini discipuli Catholicam Ecclesiam impudentissime erroris accusent, quod post dimissam adulteram matrimonium dirimi vetet, imo et Calvinus hanc legem Ecclesiae *tyrannicam* appellare non vereatur (1); Launojus contra docere videtur Tridentinam Synodum potuisse hoc disciplinae caput pro jure suo constituere. Praeterea illi, quid de hac re tradiderint veteres Doctores, haud valde disquirendum putant, quippe qui eorum auctoritatem minimi

---

vallarius (*Institut. Jur. Canon. Part.* II. *cap.* 30); nisi quod hic Magistro suo paullo verecundior ejus opinionem quodammodo emolliens asserit ex Matthaei Evangelio non constare, an Christus adulterii caussa novas nuptias permiserit, veteresque Patres in diversa abiisse, cum alii id negarint, alii vero affirmarint. Tum addit divortiorum disciplinam, quae tamdiu fluctuaverat, post saeculum X. certiorem apud Latinos evasisse, passimque receptum esse, vivente utroque conjuge, nulla ex caussa nuptias dissolvi posse.

(1) *Institut. lib.* IV. *cap.* 14.

ducant: at hic nil intentatum relinquit, quo sibi praesidium ex antiquitate comparet, et omnes fere antiquos Scriptores distortis nimis interpretationibus ad suam opinionem pertrahere conatur; atque ex iis, quod magis mirere, etiam Pontifices, praesertim Gregorium II. Eugenium II, Leonem IV. et Ioannem VIII. cum Romanis Synodis secum amice conjurare affirmat.

Verum quamvis heterodoxi intemperantiores atque audaciores hoc in argumento Parisiensi Theologo se praebeant; hujus tamen opinio, quod facile est cuivis pervidere, est eiusmodi, ut nequaquam Catholicis toleranda sit viris. Cui profecto oppugnandae nihil magis aptum atque idoneum videtur, quam quod ipse statuit, Scholasticos post Magistrum, et Aquinatem uno Augustino duce novam invexisse de divortiis doctrinam, ex qua postea ortum habuit notissimus Tridentinus canon. Nam heic Sorbonicum Doctorem rogamus, undenam sit factum, ut e Schola Theologi, conspiratione veluti facta, undecim et amplius saeculorum disciplinam contemserint; et in unius Augustini verba, qui ceteroqui ex eodem Launojo in sua opinione haud constans fuit, jurare voluerint? aut cur Summi Pontifices Alexander III. et Innocentius III in suis Decretalibus unius

potius Augustini, quam tot suorum Decessorum, imo totius Latinae, et Graecae Ecclesiae, uti arbitratur Launojus, sententiam sectari maluerint? Quae cum is nullo pacto expedire queat, fateatur nobiscum omnino necesse est, se nimio contradicendi studio deceptum temere, ac minus accurate diligenterque totam hanc rem expendisse. Atque hoc nempe illud est, quod nos infra copiose et manifeste, quantum in nobis erit, demonstrare conabimur.

CAPUT II.

Christus conjugii perpetuam firmitatem, nulla adjuncta exceptione, in Nova Lege sanxit. Probatur id ex Marci, Lucaeque textu, ac praecipue ex Apostolo. Obscurior Matthaei locus explanatur, et cum aliorum Evangelistarum verbis convenire ostenditur.

Deum Veteri in Lege Hebraeis concessisse, ut per repudii libellum divortium cum uxoribus facerent, atque ita abrupto matrimonii vinculo, utrique conjugi alteras contrahere nuptias liceret, ex Deuteronomio discimus (1). Id autem non

(1) *Cap.* 24. v. 1. *et seqq.*

permissum, nisi ex legitima caussa, sive ob aliquam *foeditatem*, quemadmodum textus habet; quo sane nomine quodvis grave vitium, uti vulgo adnotant interpretes, vel corporis vel animi designatur. Cum porro haec venia Judaeis data esset *ad duritiam cordis* eorum, nec primae conjugii institutioni congrueret, ut Pharisaeis rogantibus Christus respondit (1); hinc factum est, ut illam Naturae legem instauraturus Servator noster divortia vetaret, ac nuptialem societatem perpetuam esse juberet iis usus verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (2).

Quod vero Christus ita stabile connubium statuit, ut nulla ex caussa, nullo ex crimine ejus nexus discindi queat, e Marco apparet, apud quem is rogatus num viro fas esset uxorem dimittere, hoc pacto respondisse narratur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur* (3). Hoc enim loco generatim

(1) Matth. *cap.* 19. v. 8.
(2) *Ibid.* v. 6.
(3) *Cap.* 10. v. 11.

dicitur et vir post repudium aliam ducens mulierem, et uxor alii nubens viro adulterii crimen admittere; neque ulla excipitur caussa, ob quam novae nuptiae legitime ineantur. Nam quod opinatur Cavallarius (1) Marcum loqui de uxore non dimissa ob adulterium, propter ea verba *adulterium committit super eam*, idest, ut ipse explicat, *injuriam ei faciens*, cum nulla possit injuria affici uxor adultera, utpote quae prior deliquit; id quidem prorsus ineptum est, ac tanto viro indignum. Etenim praeterquam quod ea verba alteri commati *et aliam duxerit*, cui proxima sunt, adnecti debent, et *super eam* idem est ex Hebraicae linguae ingenio, ac *cum ea*; etiamsi demus de repudiata uxore esse illa intelligenda, cur, quaeso, dici nequit virum novas nuptias ineuntem injuriam adulterae uxori inferre, quae ob adulterii crimen non desinit esse uxor? Nisi tamen velit Cavallarius ex adulterio conjugii vinculum solvi: at sic illud fallaciae genus imprudens adhibeat necesse est, quod *petitionem principii* Dialectici appellant. Eademque Christi verba, nulla addita exceptione, etiam Lucas in suo Evangelio sic refert: *Omnis qui*

(1) *Loco citato.*

dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur (1). Verum apertius Apostolus ad Corinthios scribens ait Dominum jussisse: *Uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, aut manere innuptam, aut reconciliari viro suo* (2). Ubi vides primo vetari mulierem a viro temere discedere; deinde ei copiam discedendi fieri, ex gravissima tamen caussa, sed ita ut vel innupta maneat, vel in gratiam cum viro redire studeat. Ac mox citato loco apertissime pronunciat idem Paullus mariti lege mulierem teneri, quamdiu is vivit, nec posse, nisi post ipsius mortem, alteri nuptiali foedere conjungi (3): quod etiam in epistola ad Romanos repetit (4).

Heic autem illud animadvertendum maxime censemus, quod si Christus indulsisset, ut propter adulterium maritalis nodus solveretur, haud profecto huius rei mentionem facere omisissent Scriptores Sacri, quorum testimonia recitavimus;

(1) *Cap.* 16. v. 18.
(2) I. *ad Corinth. cap.* 7. v. 10.
(3) *Ibid.* v. 39.
(4) *Cap.* 7. v. 2.

praesertim cum iis gentibus; apud quas primo Apostolorum scripta sunt evulgata, utpote assuetis qualibet ex ratione divortia facere, nimis importuna atque ardua Christiana lex videri deberet. Et quidem quis sibi persuadeat Apostolum Paullum, qui quaestionibus a Corinthiis propositis respondens, postquam de continentia, ac virginitate multa, ac praeclara dixerat, subdidit tamen se nolle ipsis *laqueum injicere*, sed tantum suadere quod erat utile et laudabile; simulque puellas monuit, ut si *se non continerent, nuberent*, cum esset *melius nubere, quam uri* (1): quis, inquam, sibi persuadeat Apostolum Paullum adeo indulgentem erga novitium Christi gregem, voluisse hac eadem epistola tanta severitate alteras nuptias prohibere post divortium, ut exceptionem quoque Divini Magistri tacens, quae procul dubio minus grave interdictum illud efficere nata erat, ad desperationem quodammodo primos Fideles adigeret? Nec dicat quis cum Cavallario facile tunc Christianis fuisse ex Matthaei textu supplere, quod aliis Novi Foederis libris deerat. Nam primum Matthaeus eodem sensu, ut mox videbimus, explicari debet, atque Apostolus, et alii

(1) I. *ad Corinth. cap.* 7.

duo Evangelistae; horumque loca clariora illius obscuro commati intelligendo facem praebent. Deinde valde est probabile in Occidentem, et plerasque Orientis provincias postremum omnium Matthaei Evangelium fuisse perlatum. Etsi enim, ut ex veteribus monumentis liquet, ante alios omnes ille Evangelium edidit; quia tamen id initio Hebraico sermone in Judaeorum usum conscriptum fuit, Latinis, Graecisque non ante innotescere potuit, quam Graece est versum: quod sero tandem, idest extrema Apostolorum aetate, evenisse non temere quis credet.

Sed nunc ad explanandum sat difficile Matthaei comma accedamus oportet, a quo ita Servatoris nostri responsum effertur: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem* (ει μη επι πορνεια), *et aliam duxerit, moechatur* (1). Quae sane verba licet festinanter lecta dubitandi ansam praebeant, num maritalis nexus dissolutionem ex adulterio Christus permiserit; si tamen diligentius considerentur, et tum cum iis quae sequuntur, tum cum simili ejusdem Sacri Auctoris loco conferantur, palam

(1) *Cap.* 19. v. 9.

omnibus facient Matthaeum cum aliis Evangelistis mirifice in unum idemque conspirare. Nam I. discipuli cum Christum sic loquentem audissent, dixerunt: *si ita est caussa hominis cum uxore, non expedit nubere;* tamquam si dicerent, sublata dimittendi facultate, molestissimum esse cum uxore vivere. At id certe minime tam grave et molestum fuisset, si ejecta adultera uxore, alteram ducere licuisset; praesertim si *fornicationis* nomine graviora alia crimina intelligerentur, quemadmodum quidam veteres, et Launojus cum suis gregalibus eam vocem accipere videntur. II. Exceptio illa adulterii, quae sola difficultatem facit, ad primam commatis partem tantum, idest *quicumque dimiserit uxorem suam*, referenda est, non vero ad sequentem *et aliam duxerit:* ut scilicet sensus sit, non quacumque et caussa, quod putabant Judaei, sed solum ob adulterium, sive aliud gravissimum crimen dimitti posse uxorem. Ex Matthaei loco tamen non sequi, ut repudiata uxore, fas sit viro aliam ducere, duo maxime probant; unum quod idem Evangelista alibi memorata Christi verba tradens, exceptionem adjicit, eamque ad viros a se dimittentes uxores, non ad nova matrimonia celebrantes manifeste refert

Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta caussa fornicationis (παρεκτος λογου πορνειας), *facit eam moechari ; et qui dimissam duxerit, adulterat* (1) : alterum, quod hoc pacto explicatus Matthaeus optime cum aliis convenit Evangelistis, neque ulla inter eorum narrationes pugna formidatur. Sed ut allatae explanationi majus robur addatur, observare juvat eos, qui aliter hunc locum interpretantur, non plane attendere se perabsurdam sententiam Servatori nostro tribuere. Sic enim videretur is pronunciare, adulteras a viris expulsas posse ad alias transire nuptias ; ac propterea, uti ad hunc Matthaei locum solent adnotare interpretes, meliori profecto uterentur fortuna repudiatae ob adulterium feminae, utpote quae alteri viro nubere non vetarentur, quam citra crimen dimissae, quibus conjugio interdiceretur.

Haec autem omnia edisserui vulgatam sequutus lectionem ; etenim vel tantillum Evangelistae textum immutare religioni duxi. Tametsi a nemine reprehendi me posse arbitrarer, si τo *nisi ob fornicationem* a sacro textu velut glossema

---

(1) *Cap.* 5. v. 32.

expungerem. neque enim aliud facerem, nisi quod in suis ad Scripturas adnotationibus, maximeque ad Matthaei Evangelium Catholici etiam interpretes aliquando non veriti sunt facere; ut scilicet cum in hujus textum ex margine irrepsisse *filii Barachiae cap.* 23, et *Ieremiam cap.* 27. sunt opinati. Quod si vero mavis, retenta ea lectione, a communi explicatione discedere, et illa ει μη, vel παρεκτος *nisi*, *extra* alia, ac vulgo fit, notione accipere, omnis plane difficultas evanescet, et percommodus nobis prodibit sensus. Nam qui vel mediocriter Graece sunt docti, probe sciunt has particulas saepe haud *nisi* et *praeterquam* verti debere, verum potius *sed* aut *dumtaxat*. Et sane ubi ait Paullus: *unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? nisi unicuique sicut divisit Deus, ita ambulet* (1); το *nisi* (ει μη) omnino *sed* reddere oportet, ut apte verba inter se cohaereant. Sic in Apocalypsi legitur (2): *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut*

---

(1) *Epist.* I. *ad Corinth. cap.* 7. v. 16. et 17.
(2) *Cap.* 21. v. 27.

abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni, idest *sed qui scripti sunt.* Atque apud eumdem Paullum alibi, ubi Vulgata habet (1): *Verumtamen et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat;* in Graeco est πλην, quod idem sonat ac παρεκτος *praeterquam.* Neque id tantum in Novi, sed etiam in Veteris Foederis libris observari potest, in quibus particulae *nisi* et *sed* plus vice simplici alternant: etenim ipsae apud Hebraeos exprimuntur eadem voce כי-אם *chi-im*, vel אם-לא *im-lo*, videlicet *nisi.* Ex quo profecto est factum, ut Septuaginta Interpretes modo ea adverbia εαν μη *nisi*, modo αλλα *sed* reddiderint (2). Quin et *Regum lib.* I pro eo quod Hebr. invenitur *si pueri mundi sunt dumtaxat a muliere*, Graecus textus habet πλην απο γυναικος *praeterquam a muliere* (3). Plurima quoque ejusdem rei exempla ex profanis Scriptoribus afferri possent: sed ea ad fastidium usque a Lexicographis inculcata notiora sunt, quam ut in medium afferre sit necesse

(1) *Epist. ad Ephes. cap.* 5. v. 33.

(2) *Gen. cap.* 24. v. 38, et *cap.* 32. v. 26.

(3) *Cap.* 21. v. 4.

Tantum illud adjicere e re duco nemini esse mirandum, si istae particulae tam facile inter se permutentur; siquidem ante *nisi* intelligi debet *non*, vel *non aliud*, aut quid simile. Ita in illo Terentii loco (1): *Nisi pol filium multis modis iam expecto ut redeat domum*, τo *nisi* exponi solet *sed*; verum nil impedimento est, quominus subaudita vocula *non* eamdem significationem vocis *nisi* retineamus, idest *non expecto nisi filium*. Eodem quoque pacto cum scribit Cicero (2): *Nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium*; illud *nisi*, quod explicatur *dumtaxat*, potest perbelle, quin immutetur sententia, sic vi ellipsis accipi, *non aliud nisi hoc*. Atque huiusmodi quidem explicandi ratione uti licet ad ea omnia Sacrorum Librorum loca intelligenda, in quibus *nisi* pro *sed* usurpari videtur.

Itaque si cui placeat eodem modo in Matthaeo particulas ει μη, et παρεκτος reddere, sic totum comma optime interpretabimur: *quicumque dimiserit uxorem suam sed ob fornicationem*,

---

(1) *Andr.* IV. I.

(2) *Pro. Rosc. Amer.* cap. 35.

aut *dumtaxat ob fornicationem* (sive potius, uti modo adnotavimus, *non ob aliud nisi ob fornicationem*), *moechatur*; tamquam si Christus diceret, etiam dimissa ob adulterium uxore, non posse aliam duci sine adulterii crimine. Ex quo nemo non videt, tum Matthaei locum omni prorsus difficultate expediri, imo cum ceteris Sacris Scriptoribus optime consentire; tum maxime totum fundamentum opinionis adversariorum simul labefactari, et concidere (1).

---

(1) Huic nostrae conjecturae unum obstare videtur, quod cum ex Christi verbis, *omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta caussa fornicationis, facit eam moechari* (*Matth. cap.* 5. v. 32), plerique interpretes illud deducant, virum criminis uxoris reum fieri, si haec dimissa citra adulterii crimen alteri nubat, nequaquam vero eidem id crimini vertendum, si ob adulterium illa dimissa nubat; hoc ipsum e nostra interpretatione colligi nequeat, quin potius contrarium erui videatur, etiamsi scilicet uxor adultera dimittatur et ab alio ducatur, viro tamen id esse crimini tribuendum. Verum considerare oportet τo *facere moechari* non ita stricte esse accipiendum, ut necessario culpam denotet, quum id loquendi genus per se tantum occasionem adulterii dare significet: num vero ea occasio criminosa sit nec ne, unus sermonis contextus indicare

Ceterum ad verum sensum eorum locorum adsequendum, quae explicatu difficilia in Bibliis passim occurrunt, nullam meliorem suppetere viam, quam veterum Patrum eadem interpretantium monumenta consulere, inter universos constat Catholicos. Quare nos primo Latinos Doctores ab Ecclesiae initio ad usque Tridentinae Synodi aetatem semper illud compertum exploratumque habuisse, nulla unquam ex caussa posse conjugium solvi, ita luculenter et copiose demonstrabimus, ut dubitationi minime relinqui locus videatur. Deinde, quod ad Graecos attinet, etsi posteriori aevo, maximeque post exortum schisma pravam apud eos consuetudinem invaluisse fateamur, ut viro, deserta propter adulterium priore conjuge, alteras inire nuptias fas esset; prioribus tamen saeculis contrarium

---

poterit. Quare si verba *excepta caussa fornicationis* vulgari notione acceperis, illud *moechari facere* procul dubio crimini erit obnoxium: at omni culpa vacabit, si eadem verba ex nostra conjectura explicaveris. Et sane Hebraei hisce et similibus locutionibus ἐμφατικωτέρως aliquando utuntur, quae tamen benigniori sensu sunt intelligendae; ut cum Deus, qui *intentator malorum* est (*Epist. Jacobi cap.* 1. v. 13.), dicitur *convertisse cor* Aegyptiorum, *ut odirent populum* Israeliticum (*Psal.* 104.).

docuisse sententiam fere omnes illius gentis Scriptores ex eorumdem operibus probare studebimus.

CAPUT III.

Latinorum per IV. priora saecula in nuptiis post divortium damnandis consensus. Celebris Arelatensis I. Concilii canon illustratur, eumque Catholico dogmati favere docetur. Nihil Launojo suffragantur Lactantii, et Ambrosiastri testimonia.

Cum omnia, quae ad nostrum argumentum spectantia a priori Ecclesiae aetate ad Tridentinum usque Conventum tradiderint Latini Doctores, intra unius capitis angustias coercere haud sit facile, nos postquam priorum quatuor saeculorum doctrinam tantummodo hoc capite exposuerimus, reliquas aetates sequentibus percurremus, earumque Scriptores ne transversum quidem unguem a vetustioribus discessisse planum faciemus.

Tribus prioribus saeculis unus nobis occurrit Tertullianus Afer, cum omnia alia eorum temporum Ecclesiae Latinae monumenta perierint, praeter Cypriani opera, unde nihil ad rem nostram derivare licet. Tertullianus igitur diserte asserit morte tantum matrimonium dirimi ita scri-

bens (1): *Solus enim ille* (Deus) *separabit, qui et conjunxit ; separabit autem non per duritiam repudii, quam exprobrat et compescit, sed per debitum mortis.* Et alio loco ait Christum non omne prohibuisse divortium, sed illud solum, quo ad novas nuptias quis transiret (2). *Dico*, inquit, *Christum conditionaliter fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat ... Manet enim matrimonium, quia non rite diremtum est : manente matrimonio, nubere adulterium est. Ita si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit.* Cum vero ibidem doceat Tertullianus Christum caussa adulterii permisisse divortium, exponi debet hoc divortium, ut antea dixerat, *conditionaliter*, ea nempe conditione, ne ducatur alia. Frustra igitur in suae caussae praesidium citata Tertulliani opera advocat Launojus; praesertim cum ipse ignorare non possit Auctorem, cum ea scripsit, jam ad Montanistas defecisse, qui, ut omnes norunt, secundas nuptias damna-

---

(1) *De Monogam. cap.* 9.
(2) *Lib.* IV. *contra Marc. cap.* 34.

bant. Quod sane considerans Cavallarius, ut Magistrum, cui aqua haerebat, qua meliori posset ratione adjuvaret, omissis iis operibus, libros *ad Uxorem* testes appellavit; in quorum altero ait Tertullianum narrare mulieres Christianas *divortio, vel mariti excessu* secundas nuptias contrahere (1). Sed si diligentius eum locum ipse inspexisset, procul dubio vidisset Tertullianum ibi uxorem hortantem, ut si post suam mortem innupta manere nolit, Christiano saltem viro, non Ethnico nubat, quasdam suae aetatis mulieres carpere velle, quae oblata per divortium, aut viri mortem servandae continentiae occasione, non modo eam abjecerunt, sed ne Christianam quidem disciplinam in nubendo retinuerunt. En ejus verba: *quarumdam exemplis admonentibus, quae divortio, vel mariti excessu oblata continentiae occasione, non modo abjecerunt opportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo quidem disciplinae meminisse voluerunt, ut in Domino potissimum nuberent.* Ubi quidem non dicitur dirimi conjugium per divortium, sed tantum notantur il-

(1) *Lib.* II. *ad Uxor. cap.* 1.

lae feminae, quae contemta Christiana disciplina nubebant. Mitto vero quod, si ea esset Tertulliani mens, quam illi adfingit Cavallarius, facile inde inferri posset, divortio qualibet ex caussa facto, conjugii ipsum vinculum solvi; quod utique ne adversarii quidem admittent.

Sed quid de divortiis senserit Occidentis Ecclesia prioribus illis aetatibus, sat manifeste produnt IV. saeculi Patres, et Concilia. Nam ineunte hoc saeculo Concilium Illiberi ex tota Hispania congregatum communionem denegat mulieri, quae post desertum virum adulterum alteri nupserit, quamdiu ille vivat (1): *Fidelis femina, inquit, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat: si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de saeculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Perperam autem Launojus e postrema canonis parte colligit Illiberitanos PP. non improbare secundas nuptias, neque eas declarare irritas, cum non cogatur mulier in gratiam cum viro priore redire: ete-

(1) *Can.* 9. *Tom.* I. *Concil.* Labbé edit. Ven.

nim iis verbis *nisi necessitas infirmitatis* etc. patet non alteras indulgeri nuptias, sed tantum communionem, quam tamen non denegari feminae in mortis periculo ita jubent, ut si morbo convalescat, novum conjugium dissolvat. Atque hanc esse PP. Illiberitanorum mentem inde constat, tum quod mulierem communione privant, donec prior vir vivit; tum quod longe aliter puniendas mulieres censent, quae sine legitima caussa a viris discederent, ut nova quaererent conjugia, atque eas quae post relictos viros adulteros aliis nuberent. Hae enim ad communionem admittuntur vel priore conjuge mortuo, vel ex venia cum extremo morbo laborant; illis autem ne in vitae quidem exitu communio indulgetur, ut ex alio canone habetur (1): *Si qua fuerit moechata, et eadem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus acta legitima poenitentia placuit eam communioni reconciliari: si alium duxerit relicto illo, nec in finem dandam ei communionem.* Et alibi (2): *Si fuerit fidelis quae ducitur ab eo*,

(1) *Can.* 72.
(2) *Can.* 10.

qui uxorem inculpatam reliquit, et eum scierit habere uxorem, quam sine caussa reliquit, placuit huic nec in finem dandam esse communionem. Nec porro quod nullam in viros post repudium nova conjugia contrahentes poenam hoc Concilium statuit; recte nonnulli arguunt Hispanos in ea fuisse sententia, ut alteras nuptias mulieribus tantum post discessionem ex adulterio, non item viris interdictas fuisse existimarent: nam id fortasse eo consilio factum, quod judicarent Hispani Episcopi mulieres et corporis infirmitate, et animi docilitate parentiores suis legibus fore, quam viros, quorum contumaciam saepe experti erant. At minime ex hoc sequitur, ut viris licere putarent, quod feminis interdicebatur: alioquin dicendum esset in Hispania haud habitos esse homicidii reos dominos, qui servos necari jubebant, propterea quod tantum dominae ancillas morte plectentes septem annorum poenitentiae subjiciuntur ab eodem Concilio (1).

Jam vero paucis post Illiberitanum Concilium annis, idest an. 314. habita est frequentissima

(1) *Can.* 5.

Arelatensis I. Synodus, cuius canonem habemus ad rem nostram accommodatissimum (1). In eo primo ait Synodus juvenes, qui uxores in adulterio deprehensas a se dimittunt, vetari alias inire nuptias (lege nimirum Ecclesiastica, non lege civili quae illas permittebat); dein decernit hortandos esse, ut viventibus adulteris, alias non ducant. Isthaec sunt canonis verba: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit ut in quantum potest consilium eis detur, ne, viventibus uxoribus suis licet adulteris, alias accipiant.* Nil hoc decreto clarius; attamen nescio cur acciderit, ut non solum Launojus cum suis asseclis, sed nonnulli quoque ex iis, qui nobiscum sentiunt, inde probari putaverint, Arelatenses PP. post conjugum discessionem novas nuptias permisisse. Nam quod inquiunt haud consilium dari de iis, quae vetantur, sed omnino prohiberi ne fiant, cum consilium illa respiciat, quae lege non interdicuntur; id plane falsitatis ex verbis ipsis canonis arguitur: siquidem paullo ante dicuntur juvenes

(1) *Can.* 10. *Tom. I. Concil.*

prohiberi nubere, post desertas nimirum conjuges in adulterio deprehensas. Unde liquet *consilium dare* idem hoc loco esse, ac monere et hortari; ideoque hujusmodi hortatione uti voluere Concilii PP. quia minime opportunum videbatur contumacibus ac renitentibus poenas Ecclesiasticas irrogare; idque duabus ex caussis, altera quod nulla erat adhuc expressa de Evangelici textus intelligentia Ecclesiae definitio, et fortasse nonnulli ejus Concilii Episcopi aliter sentiebant; altera quod longe majora mala timeri poterant, si eamdem severitatem, qua usa erat Illiberitana Synodus, adhibendam existimarent. Nec porro nos movere debet, quod quidam pro *prohibentur nubere* legunt *non prohibentur nubere*; etenim in cunctis MSS. codicibus negans particula deest, nec in Collectione Labbeana invenitur: primusque omnium Petavius illud *non* canoni adjecit, nulla alia auctoritate innixus, nisi quod in re praecepta haud locum habere consilium putaret (1). His adde quod si Arelatensis Synodus honestas et minime vetitas secundas post divortium nuptias censebat, nulla ratio excogitari pot-

(1) In *adnotation. ad haer.* 59. *S. Epiphanii.*

est, quare juvenes ad servandam continentiam, rem sane maxime difficilem atque arduam, cohortandos decreverit. Quod enim observat Cavallarius idcirco hoc factum, quia Ecclesia etsi secundas nuptias non damnabat, tamen ab iis ob magnum continentiae studium Fideles abducere nitebatur; id quidem nullo pacto defendi posse, quisquis fatebitur, si duo mecum advertere velit. Nam primum isthanc severam disciplinam prioribus saeculis potius in Orientis Ecclesiis, apud quas poenitentiae erant obnoxiae secundae nuptiae (1), quam in Occidente viguisse praesertim post Montanistarum haeresim, e priscis compertum est monumentis. Deinde apertissime huic coniecturae obsistunt postrema canonis verba *ne viventibus uxoribus suis alias accipiant:* si enim ob continentiae amorem adolescentibus suadere volebant Synodi Patres, ut a secundis nuptiis abstinerent; quid, quaeso, addere attinebat *viventibus uxoribus suis*? Nonne hinc diserte eruitur, illis mortuis, nova matrimonia contrahi potuisse? Quocirca nequit ul-

---

(1) *Concil. Neocaesar.* c. 3. et 7. *Ancyr.* c. 13. *Laodic.* c. 1. Basilius *Epist. canon. ad Amphiloch.* c. 4.

lum esse dubium, quin cunctae Occidentis Ecclesiae, quibus scilicet constabat Arelatense I. Concilium (1), initio IV. saeculi non probabile modo, sed exploratum quoque illud habuerint, non licere ob adulterium conjugia solvi; idque acceperint e perpetua suorum majorum, Romanae praesertim Sedis doctrina, a qua in omnibus, maximeque in iis, quae ad fidem moresque pertinebant, regebantur.

Medio vero eodem saeculo floruit Hilarius Pictaviensis Episcopus, qui Christi verba, *quicumque dimiserit uxorem* etc. illustrans ita scribit (2): *Cum lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, Fides Evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam reatum coactae in adulterium uxoris imposuit, si alii ex necessitate discessionis nubenda sit; nullam aliam caussam desinendi a conjugio praescribens, quam quae*

---

(1) In Synodo Arelat. II. medio saeculo V. habita de Concilio Arelat. I. sermo fit, et dicitur illud *celebratum fuisse ex omnibus Mundi partibus, et praecipue Gallicanis.* Ado vero Viennensis in *Chron.* sexcentos Episcopos illuc convenisse tradit.

(2) *Cap.* 4. *in Matth.*

virum prostitutae uxoris societate pollueret. Heic sane magnum discrimen inter Mosaicam, et Evangelicam legem interesse ostendit Hilarius; quippe quum illa uxoris repudiandae, et alteram ducendi potestatem Judaeis fecerit, haec autem sublata repudii facultate, reos eos adulterii declaret, quorum uxores repudiatae aliis nubant; addensque ob eam tantum caussam deserere conjugem fas esse, ne vir adulterae uxoris societate contaminetur, nullas tamen alias nuptias concedit. Fallitur ergo vehementer Launojus, cum Hilarium heic de facultate non modo dimittendae uxoris adulterii caussa, sed aliam quoque ducendi locutum existimat: nam S. Doctori affingit, ut praeclare observant Operum Hilarii Maurini editores (1), *quod ille nec dicit, nec sentit, cum maritum ab adulterae uxoris societate dumtaxat absolvat.*

Post Hilarium occurrit Ambrosius Mediolanensis Episcopus, qui exeunte IV saeculo e vivis excessit. Is luculenter asserit eum, qui uxori nuncium mittit, non posse ea vivente aliam ducere (2): *Vinctus es*, inquit, *uxori: noli*

(1) In *adnotation.* ad hunc locum.

(2) *Lib.* I. *de Abraham cap.* 7.

quaerere solutionem, quia non licet tibi, uxore vivente, aliam ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii. Et alibi postquam ostendit omne conjugium quod legitime inter duos Fideles contrahitur, non posse dissolvi, quia a Deo proficiscitur, sic prosequitur (1): *Dimittis ergo uxorem quasi jure, sine crimine; et putas tibi licere, quia lex humana non prohibet? Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt;* » Quod Deus conjunxit, homo non separet ». Vides hoc loco acriter eos reprehendi, qui ex lege civili sibi licere putabant, uxoribus expulsis, alias ducere; nec divinam sanctionem verebantur, quae divortium, novasque nuptias vetabat. Ubi et illud animadvertere juvat, legem humanam heic ab Ambrosio improbatam Constantini esse constitutionem (2), quae cohibita licentia veterum Romanorum, ex levissimis quoque caussis divortia facientium, propter gravia tantum crimina, inter quae potissimum numerabatur adulterium, repudium permittebat. Quare si adulterium justam re-

(1) *Lib.* VIII. *exposit. in Lucam* sub initium.
(2) L. 1. *Cod. Theod. de repud.*

pudii, novique conjugii caussam agnovisset Mediolanensis Episcopus, procul dubio eam excepisset, nec universe declarasset nullum conjugium legitime initum solvi posse. Ac profecto hallucinatur Launojus, qui putat heic Ambrosium in eos tantum invehi, qui uxores dimittebant *sine crimine*, nimirum, ut ipse intelligit, sine adulterio. Nam ea verba *sine crimine* non ad mulieres dimissas referuntur, sed ad viros, qui se posse *sine crimine*, sive sine culpa alias ducere uxores perperam arbitrabantur. Ad summam haec verba *sine crimine* eodem pacto in Ambrosio exponenda sunt, atque in ejus discipulo Augustino, qui similiter loquitur: *Sterilem, ait, conjugem relinquere, ut alia fecunda ducatur, nefas est; quod qui fecerit, non lege hujus saeculi, ubi interveniente repudio* SINE CRIMINE *conceditur.... sed lege Evangelii reus est adulterii* (1).

Sed videamus nunc, an ex Lactantio, et Auctore Commentariorum in Paulli epistolas, qui olim Ambrosio perperam fuere tributi, majus sibi patrocinium polliceri queat Launojus. Horum prior cum scribit esse *adulterum, qui a*

---

(1) *Lib.* I. *de nupt. et concup. cap.* 10.

marito dimissam duxerit, et eum qui praeter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut aliam ducat (1); non id sane significare vult, virum, qui ejecta adultera uxore aliam duxerit, adulterii crimine expertem esse: sed tantummodo Christi verba referens, inde ostendit non licere excepta adulterii caussa uxorem deserere. Quare eodem modo Lactantii, ac Servatoris nostri verba sunt explicanda; ut nempe illud *praeter crimen adulterii* de uxoris dumtaxat dimissione, non de alteris nuptiis intelligatur: idque eo magis probabile videtur, quod Isidorus, et alii veteres, ut infra per nos demonstrabitur, eamdem loquendi rationem adhibuerunt, quamvis post adulteras dimissas nullo pacto novas nuptias concederent. Vel saltem fateri necesse est Lactantii mentem obscuram et ambiguam esse; propterea que quid Launojo suffragari possit, non video. Quod ad alterum vero spectat, is quidem diserte docet disparem esse viri, ac mulieris conditionem: virum enim posse, uxore ob adulterii crimen dimissa, aliam ducere, idem autem mulieri non licere (2). Verum ne iste quidem Au-

(1) *Lib.* VI. *Instit. Divin. cap.* 23.
(2) *Comment. in epist.* I. *ad Corinth. cap.* 7.

ctor, quem Hilarium Romanum Diaconum, et Luciferianae sectae schismaticum plerique Critici judicant, sat firmo praesidio Launojo esse poterit. Etenim non modo ab Apostoli sententia discessit, qui in eadem epistola, cujus se explanatorem profitetur, apertissime uxorem viro, quod ad jura pertinet connubialia, parem fecit; sed etiam ut in aliis, ita in hac re constantem Romanae Sedis doctrinam turpiter deseruit, quae nunquam virum, conjuge licet adultera vivente, novas appetere nuptias passa est, quemadmodum sequentibus capitibus abunde planum fiet. Quapropter nequaquam est toleranda Launoji impudentia, qui hunc Luciferianum schismaticum Innocentii I. Pontificis, cujus erat aequalis, imo et totius Ecclesiae Romanae interpretem nobis exhibere non veretur.

CAPUT IV.

Ecclesia Latina V. VI. et VII. *saeculo a majorum doctrina nunquam defecit. Quaenam fuerit sententia Concilii Venetici in Gallia, et Synodi S. Patricii in Hibernia, accuratius expenditur.*

Ex omnibus Scriptoribus, qui ab anno quadringentesimo ad septingentesimum usque Occidentis Ecclesiam suis scriptis illustrarunt, testis mihi prodeat primus ut dignitate, sic et aetate Innocentius Pontifex. Is ad Exuperium Tolosanum Episcopum V. saeculo ineunte rescribens: *De his etiam*, inquit, *requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio aliis se matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero viro vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad alium copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hae personae, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur secundum illud quod legimus in Evangelio*: » qui dimiserit uxorem suam, et

aliam duxerit, moechatur : » *Et ideo tales omnes a communione fidelium abstinendos* (1). En heic Innocentius universe docet virum vel mulierem, qui post repudium, conjuge priore vivente, alias contraxit nuptias, adulterium perpetrare. Nec dicas cum Launojo Pontificem de conjugibus tantum verba facere, qui sine adulterii crimine repudiati fuerant; inutilis enim, imo inepta ac stulta prorsus Innocentiana responsio exstitisset. Et sane haud est credibile Gallum Episcopum eum interrogasse de re, quae evidentissime in Scripturis continebatur, quaeque proinde apud omnes Christifideles certa omnino erat, atque explorata. Cum igitur Exuperius Romanam Sedem de conjugiis post repudium initis consuluerit, statuere utique debemus tum illius interrogatum, tum Pontificis responsum quaestionem eam spectavisse, quae a quibusdam tunc temporis de divortiis adulterii caussa factis agitari consueverat. Praeterea, ut ex eadem Innocentii epistola discimus, paullo ante quaesierat Exuperius, num sicut mulier a viro de adulte-

(1) *Epist. 3. ad Exuperium Tolos. cap. 6. Tom. III. Concil.* Labbé edit. Ven.

rio accusata a communione arcebatur, ita quoque vir adulter ab uxore accusatus eadem poena affici deberet; eique respondet Pontifex aequo jure in hujusmodi caussa virum et uxorem habendos esse, ideoque virum crimine probato communione esse privandum. Itaque cum cap.6. quaeratur *de his, qui interveniente repudio aliis se matrimonio copularunt*, haudquaquam dubitandum videtur, quin heic generatim omnes, et praecipue qui divortium ob adulterii crimen fecerant, intelligi debeant.

Porro haec Innocentii Decretalis viam quodammodo nobis sternit ad aliam epistolam ejusdem Pontificis intelligendam; in qua de quadam muliere agens Ursa nomine, quae capta in Urbe a Gothis, alioque abducta, atque inde post recuperatam libertatem reversa, ad virum Fortunium redire volebat, qui aliam duxerat uxorem, aperte edicit *conventum secundae mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum* (1). Neque enim ea verba *nec divortio ejecta* possunt cuipiam suspicionem injicere, existimavisse Pontificem

(1) *Epist. 9. ad Probum. Ibidem.*

*

propter divortium abrumpi conjugium: nam quanam ratione sibi ipse constaret, qui altera epistola diserte docuerat, *eos qui interveniente repudio aliis se matrimonio copularunt, in utraque parte manifeste adulteros esse?* Quare ita hunc locum interpretandum censemus, ut dicat Innocentius sine ullo jure Fortunium suum alterum conjugium tueri velle, quippe quod neque Ecclesiastica lege, cum prior uxor adhuc viveret; nec lege civili, nullo facto divortio, permitti poterat.

Innocentio addendus est Hieronymus, qui aliquot annos Romae vixit, neque ab illius aetate distabat. Sane is in suis operibus non semel tam aperte affirmat nulla ex caussa, ne adulterio quidem nuptias rescindi posse, ut nullum dubium de ejus mente suboriri queat. Ac praesertim explicans illud Christi apud Matthaeum, *Omnis qui dimiserit uxorem suam* etc. haec habet: *Sola fornicatio est, quae uxoris vincat affectum...... Ubicumque est igitur fornicatio, et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur*

uxorem, ut secundam prima vivente non habeat (1). Ex Hieronymo igitur sic viro dimittenda est adultera uxor, ut tamen aliam non ducat. Idemque asserit de uxore, si virum deserat adulterum, quam vetat omnino alteri nubere; sic enim post allata verba loquitur: *Nec non quia poterat evenire, ut juxta eamdem legem uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela praecipitur, ne secundum accipiat virum.* Et ad Amandum scribens: *Quamdiu*, ait, *vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet* (2). Quae testimonia adeo clara sunt et aperta, ut mirum profecto sit a Launojo scribi potuisse, Hieronymum in ea fuisse opinione, ut putaret mulierem non posse, marito adultero dimisso, alteri nubere, at viro fas esse repudiare ob adulterium uxorem, et alteram ducere. Falsissimum enim id probatur tum ex allatis verbis Hieronymi, tum ex ejusdem ad

(1) *Comment. in cap. 5. Matth.*
(2) *Epist. ad Amandum. Tom.* IV. *Oper.* ed. Maur.

Oceanum epistola, ubi diserte tradit ad feminas quoque pertinere quidquid viris imperatur ita scribens: *Praecepit Dominus uxorem non debere dimitti excepta caussa fornicationis, et si dimissa fuerit, manere innuptam.* QUIDQUID VIRIS JUBETUR, CONSEQUENTER REDUNDAT IN FEMINAS (1). Eoque magis miramur ausum esse Launojum tam putidam tanto Doctori inferre calumniam, quod ipse bene longa illius testimonia citavit ex epistolis ad Amandum, et Oceanum, praecipueque e Commentariis in Matthaeum; unde procul dubio, si diligenter perlegisset, veram ejus sententiam elicere poterat. Sed adeo novitatis studio abreptus erat Parisiensis Theologus, adeoque affectibus occupatus erat ejus animus, cum illa loca legebat, ut in meridiana luce caecutire coactus fuerit.

Hieronymo fere aequalis fuit Augustinus, quo nemo diligentius consideravit, accuratiusque quaestionem, de qua agimus, pertractavit, licet eam *obscurissimam et implicatissimam* agnoverit (2). Hic pluries in variis suis scriptis certissimum

(1) *Epist.* 84. *Eodem tom.* IV.
(2) *Lib.* I. *de adulter. conjug. cap.* 25.

statuit, divulsis adulterii gratia conjugibus, nullam tamen iis novas ineundi nuptias potestatem fieri. Sed praecipuè in tractatu *de adulterinis conjugiis* post allata Apostoli verba ex epistola ad Romanos, sic in rem nostram pergit (1): *Haec verba Apostoli toties repetita, toties inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite igitur dimittitur conjux ob caussam fornicationis, sed manet vinculum prioris; propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob caussam fornicationis.* Alia loca recensere supersedemus, propterea quod ipsè Launojus candidè fatetur Hipponensem Doctorem sibi quam maxime adversari; nisi quod tamen contendit eum post Synodum Milevitanam, de qua mox, extremoque vitae tempore priorem sententiam immutasse, ideoque scripsisse: *In caussa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quae fidem conjugalem*

---

(1) *Lib.* II. *cap.* 4.

marito non servavit (1). At oleum quidem et operam perdit sic cavillando Gallus Theologus; quicumque enim communi sensu non destituitur, plane videt Augustini verba objecta non de abrupto conjugii vinculo, sed tantummodo de diremta vitae consuetudine esse intelligenda.

Nec porro unus in Africa ita sensit Augustinus, sed tota Ecclesia Africana idem se sentire professa est, cum ejusdem Augustini aetate suo Codici inseruit Synodi Milevitanae II. canonem, qui sic se habet: *Placuit ut secundum Evangelicam, et Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contemserint, ad poenitentiam redigantur. In qua caussa legem Imperialem petendam promulgari* (2). Cujus de canonis intelligentia nulla profecto lis exoriri potest, cum nemo inficietur in eo ipsissimam Augustini sententiam contineri, quam supra exposuimus. Illud tantum miratur Launojus, cur novam legem ab Imperatore petant Mile-

(1) *Tract.* 9. *in Joann.*

(2) *Concil. Milevit.* II. *can.* 17. *et Cod. Afric. can.* 102.

vitani PP. *cum*, ut inquit, *nondum erat annus* 100. *quod Imperator Constantinus legem de hac materia tulerat.* At facile erat Launojo advertere, Afros Praesules hoc canone eam legem a Principe postulasse, quae Evangelicae, et Apostolicae doctrinae omnino congrueret, et novas nuptias post repudium vetaret; qualis non erat Constantini M. constitutio, qua novi conjugii post repudium venia dabatur (1). Quemadmodum igitur paucis ante annis ab Honorio legem ad comprimendos Donatistas, eorumque vim propulsandam Afri petierant (2); ita hoc canone adversus Catholicos contumaces, et Ecclesiae dicto non audientes ejusdem Principis opem implorarunt: qua de re nil sane est, quod mirum accidere debeat.

Toto vero sextae aetatis intervallo unus nobis obversatur Primasius Afer Episcopus, qui nostram quaestionem attingat. Atque hic etiam, quicquid obganniat Launojus, nobis favet, ut ejus verba aperte demonstrant. Etenim ad illud Apostoli *uxorem a viro non discedere*, inquit:

(1) *Leg.* 1. *Cod. Theod. de repudiis.*
(2) *Concil. Carthag. an.* 404. *Tom.* III. *Concil.*

Si quis dimiserit uxorem excepta caussa fornicationis, facit eam moechari. Quod si discesserit, manere innuptam, non ita discedere, ut alii nubat: si ob aliquam caussam discesserit, alii non nubat (1). Ubi Primasius dum mulierem prohibet alteri nubere, si ob aliquam caussam a viro discesserit, neque ullam aliam discedendi caussam praeter adulterium agnoscit, satis ostendit sejunctis ob adulterium conjugibus nefas esse novas inire nuptias. Quod autem ad Gregorium Magnum pertinet, qui sub ejusdem saeculi exitum Pontificatum gessit, frustra eum testem appellat Sorbonicus Doctor. Nam in epistola ab ipso citata (2) isthaec tantum leguntur: *excepta fornicationis caussa, vir uxorem dimittere nulla ratione conceditur.* Et paullo ante: *propter fornicationis crimen viro licet dimittere uxorem.* Quo loco Pontifex ut unicam dimittendae uxoris caussam adulterium esse asserit, ita nihil aliud, quod ad rem nostram faciat, plane addit. Sed quid de hoc argumento VI., et sequentibus

(1) In *cap. 7. epist. I. ad Corinth.*
(2) *Lib.* XI. *epist.* 50. edit. Maur.

saeculis docuerit Ecclesia Romana, imo et Occidens universus, canonum Codex a Dionysio Exiguo eadem sexta aetate editus abunde indicare videtur. Cum enim hic Codex tum veterum Conciliorum, et praesertim Africanorum canones, tum Pontificum Romanorum decreta complectens statim non modo Romae usu sit receptus, teste Cassiodoro (1), sed in reliquas quoque Occidentis provincias pervaserit, ubi saltem quod ad Pontificias epistolas probatus et admissus fuit; cumque idem Codex alteras nuptias post legitimum repudium omnino damnaverit: facile quivis perspicit in tota Occidentali Ecclesia eo tempore, de quo loquimur, non aliam invaluisse de divortiis doctrinam, quam quae fuit supra per nos exposita, et propugnata.

Iam septimo saeculo tria praeclara testimonia praesto sunt, quae mirifice traditam disciplinam confirmant. Unum suppeditat Isidorus Hispalensis Episcopus, et Sedis Apostolicae in Hispania Vicarius, qui ita scribit (2): *Sicut non potest Ecclesia dividi a Christo, ita nec uxor a*

(1) *Instit. Div. Litter. cap.* 23.
(2) *Lib.* II. *de Offic. cap.* 19.

viro. . . . . Prohibet enim (Apostolus) *dimitti quacumque ex caussa, ne aliis conjungatur secundum consuetudinem Judaeorum, quam Dominus interdixit dicens :* » quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis caussa, et aliam duxerit, moechatur : » *Solum, ut ait Beatus Hieronymus, adulterium est, quod vincat uxoris affectum.* Postea prosequitur Hieronymi verba recitans ex *Commentar. in Matth.* quae modo protulimus. Neque audiendus est Launojus, qui opinatur Isidorum hoc loco excipere adulterii caussam, ob quam solum viro aliam ducere uxorem permittat. Nam primo Hispanicus Doctor aperte significat se Hieronymi sententiam amplecti, quem viro vel mulieri, facto ob adulterii crimen divortio, omnem novi conjugii spem adimere supra demonstravimus. Deinde minime credi potest Isidorum in hac re ab Ecclesia Romana dissidere voluisse, quae nullo non tempore constantissime contrarium docuit, quemadmodum et antea vidimus, et mox fusius, nequidquam obstrepente Launojo, palam faciemus; praesertim cum Hispanienses Provinciae ea aetate se Praesulum Romanorum decreta sequi gloriarentur, quod ex Toletano Concilio III. apparet : *Maneant*, ajunt PP. *in*

suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul et Synodicae sanctorum Praesulum Romanorum epistolae (1).

Alterum praeterea testimonium exhibet Anglicana Ecclesia, quae in Synodo Herufordiensi congregata anno circiter 673 a Theodoro Cantuariensi Metropolita, et totius Angliae Primate id decrevit: *Nullus incestum faciat, nullus conjugem propriam, nisi ut sanctum Evangelium docet fornicationis caussa, relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse voluerit, nulli alteri copuletur; sed ita permaneat, aut propriae reconcilietur conjugi* (2). Manifeste heic duo statuuntur, unum ut nemo nisi ob adulterium uxorem relinquat: alterum ut vir relicta uxore (nimirum caussa adulterii; aliter enim non pateretur Synodus conjugem expellere, et ita permanere), nullam aliam ducat. Et quod magis observatione dignum, Theodorus, qui a Romano Pontifice renunciatus et consecratus fuit Cantuariensis An-

(1) *Concil. Tolet.* III. *cap* 1. *Tom.* VI. *Concil.*
(2) *Concil. Heruford. Cap.* 10. *Tom.* VII. *Concil.*

tistes, vix coactis Episcopis eos rogat, ut *quaeque decreta sunt ac definita a sanctis Patribus, incorrupta ab omnibus serventur.* Quibus verbis clare significat canones a se propositos non novos esse, sed apud alias Ecclesias, maximeque apud Romanam Sedem receptos. Quare satis mirari nequeo, ecquid in mentem venerit Launojo, cum audacter pro se hunc canonem, testem citavit, qui tantum abest, illius ut caussae quidquam faveat, ut potius quam maxime officere videatur.

Tertium demum habemus ex Nannetensi in Gallia Concilio, quod licet Labbeus cum aliis ad saeculi IX. finem protraxerit, longe tamen probabilius a Pagio (1) ad mediam fere septimam aetatem refertur. Cujus quidem Synodi hoc exstat decretum (2): *Si cujus uxor adulterium perpetravit, et hoc a viro deprehensum fuerit, et publicatum, dimittat uxorem si voluerit propter fornicationem: illa vero septem annis publice poeniteat. Vir vero ejus, illa vivente, nullatenus aliam accipiat.*

(1) *Crit. Baronii.*
(2) *Can.* 12. *Tom.* XI. *Concil.*

Quid clarius atque expressius quaerimus? Itaque Launojus hoc canone, quem ipse anno 895. conditum censet, nimis urgeri se sentiens, non audet eum, ut assolet, ad suam detorquere sententiam: at illius auctoritatem imminuere atque elevare potissimum ex eo capite nititur, quod virum vetuerit aliam ducere uxorem, dimissa ob adulterium priore, *cum, ut inquit, juxta disciplinam Ecclesiae Romanae tunc temporis liceret repudium dare adultero conjugi*. Verum facile temeritatis ac mendacii istum arguunt Theologum plura monumenta ad VIII. et IX. saeculum pertinentia, quae nos sequenti capite producemus.

Reliquum nunc est, ut adversariorum argumenta refellamus ex duabus Synodis medio ferme quinto saeculo habitis petita, nimirum Venetica, et Hibernica. Ac primum Concilii Venetici Patres ita decernunt (1): *Eos qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta caussa fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint, statuimus a communione similiter arcendos.* Unde inferunt Lau-

---

(1) *Can. 2. Tom. V. Concil.*

nojus, et alii quidam licitum fuisse viris post probatum uxoris adulterium nova inire conjugia. Sed qui isto pacto argumentantur, non videntur antiquiora Ecclesiae saecula bene a posteriori aevo distinxisse, quo nempe nova rerum facies paullatim emersit, pristini immutati mores, pluresque pravae consuetudines, quae antea irrepserant, sensim excisae. Etenim per priora saecula, ac praesertim post Constantini imperium illud malum in Christiana republica inveteratum insederat, quod alii ex levibus quoque caussis uxores repudiabant, alterasque ducebant, alii vero ejectis ob adulterium uxoribus, ad novas nuptias transibant. Hujusmodi autem malum eo difficilius tolli poterat, quod legibus civilibus, et consuetudine defendi videbatur: quare pleraeque Ecclesiae cum ei omnino se mederi non posse viderent, aliqua saltem ex parte occurrendum statuerunt. Cumque ii, qui conjugia sine adulterii crimine dirimebant, longe graviore se prae aliis scelere obstringerent, hos idcirco severioribus poenis cohibebant Concilia; nec patiebantur quemquam conjugem dimittere, nisi prius eam adulterii apud Sacerdotes convicisset. Rursus vero si viri dimissis post probatum adulterii crimen uxoribus, alias ducerent, nul-

lis plerumque Ecclesiasticis censuris multabant, non quo alteras nuptias honestas, ac Divina Lege permissas putarent, sed quod non aliter se posse majora mala praecavere cernerent, nec poenarum severitate se quidquam adsecuturos confiderent; ut mittam quod non omnes praesertim in Orientis regionibus Christi legem eodem modo ob obscurum Matthaei textum interpretabantur. Itaque Arelatensis Synodi exemplum secuti plerique Episcopi hujusmodi Fideles ab alteris nuptiis hortatibus tantum, ac monitis deterrere sat habebant, quin poenas in eosdem decernerent. Atque hinc intelligimus Veneticos Patres, dum viris *sine adulterii probatione* uxores dimittentibus, aliasque ducentibus communione interdixerunt, minime significasse se post id crimen probatum nova matrimonia rata facere; sed rigidiori hac ratione alterum gravius ac foedius malum prohibere voluisse; praetereaque difficiliora reddentes divortia, occasionem inhonesta appetendi conjugia intemperantibus adimere conatos esse. Id sane manifestius colligitur ex alio Gallicano Concilio, idest Agathensi, quod quadraginta annis post Veneticum fuit coactum, cuique praefuit Caesarius Arelatensis Praesul, Sedisque Apostolicae Vica-

rius: ibi enim Patres a Fidelium communione illos excludunt, qui antequam uxores apud provinciales Episcopos de crimine accusent, haeque judicio damnentur, easdem dimittere audent. *Hi vero saeculares*, inquiunt, *qui conjugale consortium culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiserunt, et nullas caussas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena praesumant: si antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii caussas dixerint, et prius uxores, quam judicio damnentur, abjecerint, a communione Ecclesiae et sancto populi coetu, pro eo quod fidem et conjugia maculant, excludantur* (1). Quibus e verbis luculenter apparet iis temporibus in Gallia Fideles uxorum crimina apud provinciae Synodum probare debuisse non ut nova conjugia contrahere, sed ut illas repudiare legitime possent; ita ut contumaces et non parentes gravissimo anathematis supplicio adfecti fuerint. Nec absimili pacto Hispanica Ecclesia anathematis poenam omnibus irrogabat, quicumque citra adul-

(1) *Concil. Agath. can.* 25. *Tom.* V. *Concil.*

terii crimen uxores deseruissent, uti e Toletano Concilio an. 681. discimus. En eius statutum: *Praeceptum Domini est, ut excepta caussa fornicationis uxor a viro dimitti non debeat; et ideo quicumque citra culpam criminis praedicti uxorem suam quacumque occasione reliquerit, quia quod Deus conjunxit, ille separare disposuit, tamdiu ab Ecclesiae communione, et a coetu omnium Christianorum maneat alienus, quamdiu et ad societatem relictae conjugis redeat* (1). Idem demonstrare licet etiam e Synodo Turonensi habita an. 1060; ubi eos, qui sine Episcopali judicio uxores dimittunt aliasque ducunt, anathematis poena plectendos sic decernitur: *Qui suam uxorem sine Episcopali judicio dimittens aliam duxit, vel duxerit, donec se fructuosae tradat poenitentiae, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et a liminibus Ecclesiae sit exclusus et alienus* (2). Sed de hac Synodo mox redibit sermo; simulque eam ab adversariorum telis defendere conabimur.

---

(1) *Tolet. Concil.* XII. *can.* 8. *Tom.* VII. *Concil.*
(2) *Can.* 9. *Tom.* XII. *Concil.*

Quod autem in novas contrahentes nuptias post legitime probatum prioris conjugis adulterium quadam uti indulgentia ad graviora vitanda facinora Ecclesiae Praesules per eas aetates solerent, id quidem tum quae modo dicta sunt, et infra uberius disserentur, tum verba ostendunt Synodi Herufordiensis paullo ante citata; etenim eius Synodi Episcopi satis esse arbitrantur, si virum moneant, ut post dimissam adulteram uxorem *nulli alteri copuletur*, *si Christianus esse voluerit.* Quin et canon Concilii Hibernici S. Patricii, qui altero loco nobis objiciebatur, idipsum apertissime probat; his enim verbis exprimitur: *Audi Dominum dicentem .... Non licet viro dimittere uxorem nisi ob fornicationem, ac si dicat ob hanc caussam; unde si ducat aliam velut post mortem prioris, non vetant* (1). Sane illud *non vetant* indicat solummodo Concilii Praesules noluisse per censuras Ecclesiasticas ab alteris nuptiis legitimum facientes divortium absterrere, quamvis illas improbarent. Ad haec nil vetat opinari po-

---

(1) *Concil. Hibern.* II. S.Patricii *can.*26. *Tom.* IV. *Concil.*

strema verba *unde si ducat aliam* etc. non fuisse antea in canone, sed esse adjecta ab exscriptore Gallo hujus Synodi (unde eam acceptam Sirmondus primus in lucem extulit); qui fortasse aliqua addidit, aut saltem verba mutavit.

CAPUT V.

Nihil variavit ab VIII. usque ad X. saeculum in Occidentis regionibus de divortiis doctrina. Adversariorum argumentis occurritur.

Ac primo recensendus est Zacharias Pontifex, qui media circiter VIII. aetate per literas variis Gallorum quaestionibus respondens docet ex Milevitana Synodo non licere post repudium, utroque conjuge vivente, novum nuptialem contractum. *De his*, ait, *qui uxores aut viros dimittunt, in Concilio Africano ita continetur:* » Placuit ut secundum Evangelicam et Apostolicam disciplinam », cum reliquis deinceps Milevitani canonis verbis, quae nos superiori capite produximus (1). Tum ejus successor Ste-

(1) *Epist. 7. ad Pipinum, et Episcopos etc. cap. 12. Tom.* VIII. *Concil.*

phanus II. inter alia, quae cum esset in Gallia, ad cujusdam Monasterii interrogata rescripsit, idem quod, Zacharias, de repudii quaestione statuit; nisi quod, ut ille Milevitani Concilii canone utitur, hic Innocentii Pontificis ad Exuperium Tolosanum scribentis testimonium usurpat (1). Sub idem quoque tempus vixit Egbertus Eboracensis in Britannia, sive Anglia Episcopus, qui *Excerptiones e dictis et canonibus SS. Patrum* concinnavit. In his cum ex Evangelio dixisset: *Nemo aliter uxorem dimittat, nisi propter fornicationem*, haec subnexuit: *et Augustinus dicit:* » si mulier fornicata fuerit, relinquenda est, sed illa vivente, altera non est ducenda » (2). Et infra affert canonem Africanum, sive Milevitanum: *Placuit ut secundum Evangelicam* etc. (3). Quod quidem testimonium adeo est clarum, ut neminem de Egberti mente dubitare sinat. Sed Eboracensi Metropolitae adjungere juvat Bedam, qui ejusdem aetatis, ac gentis fuit. Is exponens Christi

(1) *Respons. ad Brittan. Monast. cap.* 5. *Ibidem.*
(2) *Can.* 119. *Ibidem.*
(3) *Can.* 120.

verba apud Marcum, *quicumque dimiserit uxorem suam* etc. (1): *Una ergo*, ait, *solummodo caussa est carnalis fornicatio, una spiritalis timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis caussa fecisse leguntur. Nulla autem caussa est Dei lege praescripta, ut vivente ea, quae relicta erat, alia ducatur.* Et alibi postquam explanavit illud Apostoli, *et vir uxorem non dimittat*, sic prosecutus est (2): *Quare non addidit excepta caussa fornicationis, quod et Dominus permittit, nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, quod caussa fornicationis permittitur, maneat sine uxore?* Haec Beda, qui ita diserte affirmat etiam relicta caussa adulterii uxore, nefas esse aliam duci, ut quamlibet cavillationem excludat. Nihilo tamen secius Launojus secum facere Bedam gloriatur; imprimisque postrema prioris loci verba interpretans inquit: *in postremis verbis libertas statuitur, ut vivente ea, quae relicta erat, alia ducatur, vel non ducatur;* quasi id velit Anglicanus Doctor, nulla Divina

(1) *Comment. in cap.* 10. *Marci.*
(2) *Comment. in cap.* 7. *epist.* I. *ad Cor.*

lege Christianos juberi alteras post repudium inire nuptias. Sed quid, quaeso, tanto studio Fidelibus inculcare id oportebat, de quo nemo dubitaret? Quis enim suspicari poterat posterius conjugium a Christo Domino praeceptum fuisse, qui ne prius quidem praecepit, imo rursus continentiam veluti nuptiis excellentiorem tantopere suadere studuit? Igitur alia omnino esse debuit Bedae sententia, quam vel non intellexit, vel se non intellexisse simulavit adversarius: indicavit enim iis verbis Servatorem nostrum, sicut unam caussam uxoris dimittendae adulterium statuerat, ita nullam praefiniisse caussam, ob quam alterae nuptiae iniri possent; seu, quod idem est, alteras nuptias post repudium prorsus vetuisse.

E Britannia in Galliam transgressis praesto est nobis medio eodem VIII. saeculo Suessionensis I. Synodus, quae expresse cavet, ne nova celebrentur matrimonia, altero vivente conjuge licet ob adulterium dimisso. *Constituimus*, inquiunt Patres, *ut nullus laicus homo Deo sacratam feminam ad mulierem habeat, at nec suam parentem, nec marito vivente suam mulierem alius accipiat, nec mulier vivente suo viro alium accipiat; quia maritus mu-*

lierem suam non debet dimittere, excepto caussa fornicationis deprehensa (1). Quo in canone postremo addunt, a viro non debere dimitti uxorem, nisi in adulterio deprehensam; quasi dicant, si mulier dimittatur, quod tantum ob adulterium conceditur, non posse eam vivente viro ab alio duci. Praeterea anno 789. Carolus Magnus Aquisgranense Capitulare condidit plura complectens capita, quorum 43. est hujusmodi: *Item in eodem* (Concilio Africano praecipitur) *ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro suo, nec vir aliam accipiat uxorem, vivente priore*; dein affertur non semel memoratus canon Milevitanus: *Placuit ut secundum Evangelicam* etc. (2). Unde perspicitur Carolinum hoc statutum non esse aliter intelligendum, ac vulgo accipitur Milevitanus canon, cujus auctoritate munitur; ut scilicet etiam repudiato adultero conjuge, secundae nuptiae vetentur. Tum sub ejusdem aetatis exitum Theodulphus Aurelianensis Episcopus duo Capitularia in suae Eccle-

(1) *Can.* 9. *Tom.* VIII. *Concil.*
(2) *Lib.* I. *Capitul. cap.* 43.

siae usum sanxit: quorum in altero prohibet, ne vivente uxore adultera quamvis expulsa, alia ducatur, iisdem plane verbis adhibitis, quibus usa est Nannetensis Synodus canone per nos supra allato, nimirum: *Si cujus uxor adulterium perpetraverit* etc. Deinde subdit: *Si vir ejus eam adulteraverit, habeat potestatem dimittendi virum propter fornicationem, maneat innupta, quamdiu vir ejus vixerit; quia nec ille habet potestatem accipere aliam, prima vivente, nec illa alium virum ducere, vivente adhuc primo: habent autem potestatem semetipsos reconciliare* (1). Post Theodulphum digna est, quae appelletur testis Forojuliensis Synodus; ea enim eodem ferme tempore habita est in Italia, quo Aurelianensis Praesulis Capitulare prodiit. Hujus itaque Concilii Patres: *Placuit*, ajunt, *ut resoluto fornicationis caussa conjugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera* (2). Nihil hoc decreto luculentius.

---

(1) *Capitul.* II. *Theodulphi Aurelian. Tom.* IX. *Concil.*

(2) *Can.* 10. *Ibidem.*

Iam cuncta haec testimonia per nos citata ad VIII. saeculum pertinent; sed nec minora numero suppeditabit, quae proxime sequitur Ecclesiae aetas. Sane inter Scriptores, qui sacrarum rerum scientia saeculi IX. intervallo claruerunt, haud postremum obtinet locum Rabanus Maurus Moguntinus Metropolita; qui in suis in Matthaeum adnotationibus ea de divortiis tradit, magna licet ex parte suorum temporum more e Patrum antiquiorum scriptis excerpta, quae ipsum hac in re minime a majoribus dissensisse satis comprobant. Nam primo ait (1): *Multae erant in Lege Veteri caussae uxores dimittendi: Dominus autem in Evangelio solam caussam fornicationis excepit..... et moechari dicit etiam virum, qui eam duxerit, quae soluta est a viro. Cujus rei Apostolus terminum ostendit, quia tamdiu observandum dicit, quamdiu vir ejus vivit: illo autem mortuo, dat nubendi licentiam.* Et post adductum illud Paulli ad Corinthios, *eis autem, quae nuptae sunt, praecipio non ego* etc. usque ad ea verba *et vir uxorem non dimittat*, subjicit:

(1) In *cap.* 5. *Matth.*

simili forma, ut si dimiserit, non ducat aliam, aut reconcilietur uxori; fieri enim potest, ut dimittat uxorem caussa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit (1). Gradum deinde ad caput 19. faciens verba exscribit Hieronymi: *Sola fornicatio est, quae uxoris vincat affectum* etc. quae nos antehac, cum de Hieronymi sententia ageremus, in medium protulimus. Ac tandem concludit verba recitando Bedae per nos pariter superiori capite laudata: *Una ergo solummodo caussa est carnalis fornicatio, una spiritalis* etc. Nec vero a Moguntino Metropolita dissentiunt ceteri Germaniae Episcopi: siquidem sub ejusdem noni saeculi exitum in Triburiense Concilium convenientes de viro, a quo segregata erat uxor adultera, sic statuunt: *maritus vero, quamdiu ipsa vivat, nullo modo alteram ducat* (2).

Dum autem in Germania florebat Rabanus, interim magnam sibi existimationem peperit in Gallia Paschasius Ratbertus Corbejensis Abbas. Hic postquam e Christi verbis apud Matthaeum ostendit illum propter solum adulterium repu-

(1) *In idem cap. 5. Matth.*

(2) *Concil. Tribur. can. 46. Tom. XI. Concil.*

dium concessisse, quod Judaei ex qualibet vel levi caussa licere contendebant, ait (1): *Verumtamen aliam, vivente illa quae adultera est, non licet accipere; sicut nec viro alii nubere, si fuerit prior adulter, et reprobatus ab ea.* Tum haec addit ex Augustino desumta: *Quamquam enim licite dimittitur uxor ob caussam fornicationis, seu a viro discedente uxore; manet tamen vinculum prioris conjugii, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit etiam ob caussam fornicationis, aut vir dimissus si aliam duxerit.* Ita Ratbertus: cui mirifice consentit ejus aequalis Isaacus Lingonensis Episcopus, qui edidit *Canones* e Regum Francorum Capitularibus desumtos, et in varios titulos tributos, quorum singuli in plura capita dispescuntur. In hac Collectione leguntur Synodi Nannetensis, et Theodulphi Aurelianensis decreta superius citata: *Si cujus uxor adulterium perpetraverit* usque ad verba *habent autem potestatem semetipsos reconciliare* (2). Quare

(1) *Lib.* 9. *in Matth.*

(2) *Tit.* 3. *de adulter. cap.* 9. (quod est 298. lib. 7. Capitul.) *Tom.* X. *Concil.*

haud dubitandum videtur, quin et Gallicanorum Episcoporum edicta, et Regum Francorum Capitularia eodem tempore secundas nuptias post legitimum repudium prohibuerint. Neque aliter accipiendus est alius canon Capitularis Ahytonis Episcopi Basiliensis, qui Ludovico Pio imperante vixit, dum vetat conjugio copulari *alterius uxorem vivente marito, et alterius maritum vivente uxore* (1): frustra enim quis contenderet ibi de divortio non ob adulterium, sed ob alias caussas facto agi.

Quid vero, quod Concilia quoque in Gallia hoc tempore celebrata idem aperte docuerunt? Ita Patres Concilii VI. Parisiensis congregati an. 829 sub Ludovico Pio inter alia, quae Fideles nosse oporteat, id recensent: *Quod hi, qui caussa fornicationis dimissis uxoribus suis alias duxerint, Domini sententia adulteri esse notentur* (2). Quin imo longe frequentius Tullense II. ex tota fere Gallia coactum, cui quatuordecim Metropolitae adfuerunt, in epistola Synodica ad nonnullos Aquitaniae Episcopos conscripta, de Regismundi Comitis filia agens nupta

(1) *Can. 31. Tom. IX. Concil.*
(2) *Lib. 3. cap. 2. Ibidem.*

Stephano, qui ab ea discesserat, quod ante nuptias cum illius propinqua concubuerat, ostendit posse eam alteri nubere, quia priores nuptiae ob incestum non fuere legitimae, quum legitimae tantum nuptiae ex Scripturis, et PP. dirimi nequeant vivente viro vel uxore, etiamsi ob adulterium separentur. Quod quidem sic Augustini verbis demonstrat : *Licite itaque dimittitur conjux ob caussam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob hanc caussam fornicationis.* Dein ita pergit : *Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro et reconciliari non vult, maneat innupta ; et si dimiserit vir adulteram mulierem, et eam non vult recipere etiam post actam poenitentiam ; custodiat continentiam* (1). Haec in illa epistola totius Concilii nomine ab Hincmaro Rhemensi scripta : unde duo nobis, nequidquam reclamante Launojo, colligere datur, unum quod ab universa Gallicana Ecclesia per haec tempora damnabantur etiam post dimissam adulteram

(1) *Concil. Tullensis* II. *Epist.* an. 860. *ad Episcopos* etc. *Tom.* X. *Concil.*

uxorem secundae nuptiae: alterum quod Hincmarus Rhemensis Praesul, qui eruditione et ingenio omnium Gallorum suae aetatis Scriptorum erat facile princeps, manifesto Launojanae opinioni refragatur. Neque nobis negotium facessit, quod idem Hincmarus alibi docet (1): *Legaliter initum conjugium aliquando dissolvitur caussa infidelitatis; quae sejunctio inter fideles post initum conjugium fieri non potest, nisi caussa fornicationis, et amore continentiae.* Ex quibus verbis arguit noster adversarius, quemadmodum dissolvitur matrimonii inter infideles contracti vinculum, si eorum alter Fidem amplectitur, altero nolente cum fideli habitare; ita quoque ex Hincmaro propter conjugis adulterium dirimi conjugii nexum. Nam nisi doctum Rhemensem Metropolitam tam turpiter secum pugnantem existimare malis, benigniori sensu ejus verba accipere debes, ut nempe de sola disjunctione quoad vitae consuetudinem, non vero quod ad nexum connubialem intelligantur. Sed minime opus est tantopere de Hincmari

(1) *Lib. de divort. Lotharii, et Theutbergae ad interrog.* 21. *Tom. Operum* I.

mente assequenda sollicitos nos esse, cum is suam sententiam satis superque aperiat, post objecta verba expresse inquiens: *Dominus dicit, quia vir et uxor propter fornicationem ab invicem separati, si aliis se conjunxerint, adulterant.* Tum alio ejusdem operis loco primum ait non qualibet ex caussa, sed ob solum adulterium ex Sacris Libris posse separari conjuges, idque non sine Episcopi scientia et auctoritate, atque ita separatis haud licere nova inire conjugia, postea subdit, *Evangelicae huic veritati, et Apostolicae doctrinae concordare cunctos Doctores Catholicos* (1). Ita profecto loquitur Hincmarus in eo ipso libro, quem veluti suae caussae faventem temere laudat Launojus. Videant igitur istius Scriptoris admiratores, quam parum sit ejus auctoritati fidendum.

Sed non defuerunt tunc temporis Romani Pontifices, qui a majoribus acceptam doctrinam aliis Ecclesiis inculcarent, et suis decretis confirmarent. In primis Nicolaus I. in epistola ad Adonem Viennensem Episcopum, qui eum de quibusdam consuluerat quaestionibus, sic in

(1) *Respons. ad interrogat.* 5.

rem nostram scribit : *Requiris si dimissa uxore, quam legitime sponsatam quis duxerit, quia nomen malum postmodum ei imposuit, absque decreto generalis Synodi, liceat ei aut aliam accipere contra auctoritatem Evangelicam, aut illa superstite pro uxore concubinam habere. Quibus nos Apostolica auctoritate fulti secundum Evangelicam sanctionem omnino resistimus, et nec aliae uxoris copulam eis, qui talia agunt, dimissa superstite, habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus* (1). Ac ne putes de iis verba fecisse Nicolaum, qui uxores ejecerant vel citra adulterii crimen, vel eo non rite probato, aliud afferam illius testimonium, ex quo evidentissime patet, nullatenus concedi viro alterum conjugium, donec vivit prior uxor etiam adulterii convicta. Etenim Pontifex per literas Ludovicum Germaniae Regem rogans, ut Ingeltrudem Bosonis uxorem, quae relicto viro cum quodam juvene turpe consortium inierat, ad virum redire compellat, isthaec habet (2) : *Vir* ejus (Boso) *innocens vi-*

(1) *Epist.* 59. *ad Adonem Vienn. Tom.* IX. *Concil.*

(2) *Epist.* 53. *ad Ludovicum Germaniae Regem. Ibidem.*

delicet in ejus absentia hinc inde labore non modico fatigatur, quoniam nec ipsi reconciliari absenti praevalet, nec ulterius, illa vivente, consortium ei conjugale conceditur. Qua de re quoniam improbitatem et insolentiam ejusdem viri continuam patimur, volentis scilicet ad secundum, imo ad illicitum convolare connubium, obnixe dilectionem vestram deposcimus, ut pro revocanda ea omne studium pro Dei amore sumatis .... Sic ergo pervicax illa et impoenitens anima, quae diu est adultera conata persistere, sic fortasse, si tamen necessitas ei per vos rerum interim titulatarum imponeretur, fidelis jam decerneret esse conjux. Ita Nicolaus; quae quidem si attendisset Launojus, haud pro se citare ausus esset hunc Pontificem, quod ad Bulgarorum consulta rescripserit: *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si accusaverit, non est excepta caussa fornicationis rejicienda* (1). Nam facile est cuivis intelligere, his verbis solum potestatem uxoris adulterae expellendae, non vero alterius ducendae designari.

---

(1) *Cap.* 96. *ad Consulta Bulg. Ibidem.*

Deinde Joannes VIII. paucis post Nicolaum annis ad Ederedum Anglorum Metropolitam haec scribit: *Hi autem, quos asseris uxores proprias contra praeceptum Domini relinquere, praecipimus neque virum ab uxore, neque uxorem a viro nisi caussa fornicationis discedere. Quod si ob hoc discesserit, manere innuptum, vel innuptam, aut sibi mutuo reconciliari, quoniam dicente Domino:* » Quod Deus conjunxit, homo non separet ». *Et ideo cum primam legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, nulla ratione prorsus ei conceditur aliam vivente priore conducere* (1). Nil clarius, nil expressius hujusmodi Joannis testimonio; quare omnibus ludibrium debet Launojus, qui nimis negligenter ac festinanter eum locum legens (malo enim ita opinari, quam fraudis et malae fidei illum cum aliis accusare) ita postrema verba effert: *Et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur aliam vivente priore conducere*; unde

(1) *Epist.* 65. *ad Ederedum Episcopum. Tom.* XI. *Concil.*

suam opinionem quam maxime firmari putat, minime advertens, quod facile poterat homo acer ac perspicax, lectione hac admissa, nullo pacto priora cum posterioribus convenire. Praeterea idem Pontifex per literas ad nonnullos Galliae Episcopos datas queritur in eorum provinciis, quosdam post dimissas uxores, etiam iis viventibus, alias ducere (1). Quapropter cum anno 878 in Gallia ipse moraretur, ibique Concilium Tricassinum haberet, inter alia quae decernenda in eo curavit, legimus solemni judicio fuisse viros damnatos, qui secundas et tertias nuptias inire non dubitabant, dum adhuc uxores dimissae vivebant (2). Nec porro est existimandum decretum hocce Tricassinae Synodi nil ad rem nostram attinere, propterea quod generatim de conjugum dimissione loquatur, neque ullam adulterii mentionem faciat. Nam ex aliorum Pontificum Romanorum, maximeque ex ipsius Joannis epistolis satis liquet, Apostolicam Ecclesiam etiam post separatos adulterii gratia conjuges secundas nuptias nullo non tempore vetuisse.

(1) *Epist.* 198. *Ibidem.*
(2) *Concil. Tricassinum.* an. 878. *Ibidem.*

Saeculi nunc X. excutienda restant monumenta: sed ex iis perpauca adhuc supersunt tum quod cetera temporum injuria interciderunt, tum potissimum quia hac praecipue aetate bonarum literarum ignorantia, et barbaries per totum Occidentem longe lateque est grassata. Quapropter duo tantum, quae nobis reperire licuit, in medium proferemus. Unum suppetit e *Canonibus Ecclesiasticis* in Britannia an. 967. sub Edgaro Rege editis, et ad leges suas pertinentibus; quos inter hic legitur (1): *Quisquis uxorem suam repudiat, et aliam ducit, conjugium solvit. Non enim abjiciat quisquam (vitae aut mortis intuitu) eorum quidquam quae jure debito ad Christianos pertinent; nec sepeliatur ille qui hoc facit inter Christianos. Et de uxore idem fiat.* Ubi audis communione et sepultura illos privari, qui repudiatis uxoribus alias ducerent; neque est ambigendum hoc canone eos quoque comprehendi, qui adulteras conjuges repudiabant. Id enim praeterquamquod ex illis conficitur, quae supra de

(1) *Can.* 18. *tit. de modo imponendi poenitent. Ibidem.*

Herufordiensi Synodo, deque Egberto, ac Beda observavimus; aperte quoque e *Presbyterorum Northumbrensium legibus* colligitur, quae ad eamdem ferme aetatem spectare videntur. In iis enim ita scriptum novimus (1): *Si quis uxorem suam legitimo matrimonio viventem dimiserit, et aliam illegitime duxerit, careat Dei misericordia, nisi emendaverit. Unusquisque juste teneat matrimonium suum, dum uxor vixerit; nisi forte acciderit, quod consilio Episcopi separentur, ut divisim postea vivant in castitate.* En heic praescribitur, ut qui Episcopi consilio separantur, idest vitae consuetudinem abrumpunt, licet separati castitatem tamen servent: at iis temporibus, de quibus loquimur, separatio non concedebatur ferme ab Episcopis, nisi ob unam adulterii caussam; quemadmodum et Patrum, Conciliorumque testimonia antea laudata, et quae postea proferentur, dubitare neutiquam nos patiuntur.

Ex his, quae huc usque edisseruimus, satis demonstratum videtur Ecclesias Britanniae, Galliae, Germaniae, et Italiae, praesertim vero Ro-

(1) *Can.* 54. *Ibidem.*

manam Eccl esiam toto saeculi VIII. IX. et X. spatio in eadem de divortiis doctrina, quam a majoribus acceperant, firmiter perstitisse: idemque prorsus est existimandum de Fidelibus in Hispania, et Africa degentibus, quamvis hi maxima ex parte per ea tempora Saracenorum jugo oppressi nullum de ea re monumentum ad nos transmittere potuerint. Quocirca illud modo reliquum est, ut Veterum testimoniis, quae undequaque coacervata magno rationum apparatu Launojus ejusque sectatores nobis objiciunt, tandem respondeamus. Ac primo plura simul opponunt octavi saeculi monumenta, vetus nempe Poenitentiale Romanum, decretum Zachariae Pontificis, canones quorumdam Conciliorum Galliae, nec non Caroli M. Capitulare; e quibus omnibus inferre se posse arbitrantur, conjugi adultero spem alterius conjugii tunc temporis ademtam esse, innocenti vero potestatem factam, etiam altero vivente, novas contrahendi nuptias. Sed praestat objecta loca recitare, ut quisque quanta vis singulis insit, videre possit. Itaque Poenitentialis Romani haec notantur verba: *Contigit tibi, ut uxor tua, te conscio et hortante, cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret: si fecisti, quadraginta dies in*

pane et aqua poeniteas, et septem annos, unum ex his in pane et aqua, et nunquam sis sine poenitentia. Sin autem uxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa et tuo jussu, se renuente et luctante, adulterata sit, si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantum in Domino: tu autem sine uxoria spe in perpetuum maneas. Illa autem si consentiens fuerit, eadem jejunet, quae tibi proposita sunt, et sine spe conjugii maneat (1). Simile quiddam in Zachariae decreto, quod citatur ex Gratiano, habetur: *Concubuisti cum sorore uxoris tuae? si fecisti, neutram habeas; et si illa, quae uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem et adultera sine spe conjugii permaneatis; et quamdiu vixeritis, juxta praeceptum Sacerdotis poenitentiam agite* (2). Idemque sanxit Vermeriense Concilium: *Siquis*, ait, *cum filiastra sua manet, nec matrem nec filiam ipsius potest habere, nec ille nec illa aliis se poterunt con-*

---

(1) *Poenit. Rom. tit.* 3. *de fornicat. cap.* 20. edit. A. Augustini.

(2) C. 32. q. 7. *can.* 23

jungere ullo unquam tempore: attamen uxor ejus si ita voluerit, si se continere non potest, si postquam cognovit quod cum filia sua vir ejus fuerit in adulterio, carnale commercium cum eo non habet, nisi voluntate abstinet, potest alii nubere (1). Et Concilium Compendiense, cum inquit: *Si quis homo habet mulierem legitimam, et frater ejus adulteravit cum ea, ille frater vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quo vivunt, nunquam habeant conjugium. Ille cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam* (2). Quod sane Compendiensis Synodi decretum totidem fere verbis expressum legitur in objecto Caroli M. Capitulari (3).

Verum si citatas sanctiones ita intelligere oportet, quemadmodum contendunt adversarii, qui eaedem cum tot tantisque Doctorum testimoniis, Pontificum decretis, Synodorumque etiam Gallicanarum statutis conciliari queunt? In primisque quonam pacto Zacharias Pontifex secum ipse con-

(1) *Can.* 2. *Tom.* VIII. *Concil.*
(2) *Can.* 8. *Ibidem.*
(3) *Lib.* V. *Capitul.* c. 19.

venire dicendus est, qui ad Gallorum Proceres, et Episcopos rescribens docet, vivente altero conjuge, nulla ex caussa a viro vel muliere dimissa novas iniri posse nuptias; quique profert ad id Milevitani Concilii canonem, quem ipsummet Augustinum dictasse constat (1)? Itaque nisi opinari placeat Apostolicae Sedis Praesules, Galliaeque Episcopos eodem tempore pugnantia inter se decreta edidisse, allata illorum canonum interpretatio penitus rejicienda est, eaque potius amplectenda, qua olim usus est Gratianus (2), et nunc fere omnes utuntur Canonistae; ut videlicet conjux adulter etiam post alterius conjugis obitum in criminis poenam omni conjugii spe destitueretur, innocens vero, mortuo altero conjuge, novas celebrare nuptias valeret. Quod autem per eam aetatem conjugi reo vel post alterius mortem nuptiale foedus denegaretur, ex ipsis objectis canonibus eruitur. Id enim expresse denotat illud Zachariae: *tu autem et adultera sine spe conjugii permaneatis, et quam-*

---

(1) *Epist.* 7. *ad Pipinum, et Episc. et Proceres* etc. *Cap.* 12. *Ibidem.*

(2) Caus. 32. q. 7.

diu vixeritis, poenitentiam agite; tum illud Poenitentialis: *tu autem sine uxoria spe in perpetuum maneas;* nec non canonis Vermeriensis verba: *nec ille nec illa aliis se poterunt conjungere ullo unquam tempore.* Praeterea ex ipso Romano Poenitentiali discimus aliquando inter alias poenas, quae ob gravia quaedam facinora imponebantur, etiam nuptias toto vitae cursu interdictas fuisse: quare in eo diserte legitur: *uxorem ne ducas, absque conjugio in perpetuo maneas* (1). Denique Nicolaus I. in canone, qui exstat apud Gratianum, idipsum confirmat: *Interfectores,* ait, *suarum conjugum, cum non addis adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud nisi homicidae habendi sunt, ac per hoc ad poenitentiam adigendi, quibus conjugium penitus denegatur* (2)? Ut igitur aliquod discrimen inter reum, et innocentem intercederet, edixerunt citata decreta, ut quae nuptiarum facultas conjugi adultero, quamdiu viveret, in criminis poenam adimebatur, ea quidem innocenti post alterius de-

(1) *Tit. de Homic. cap.* 1. et 2.
(2) Caus. 32. q. 2.

cessum libera relinqueretur. Quod alterum licet non satis clare significent objecti canones, expressius tamen ac manifestius loquuntur quaedam alia illorum temporum monumenta; quae huc afferre necesse habemus tum ut vulgari explicationi major lux affundatur, tum ut omne plane dubium ex cujusvis animo eximi possit. Atque in primis illud recensendum, quod statuunt Francorum Capitularia: *Si duo fratres cum una femina fornicati fuerint nescientes ad alterutrum fornicationem, statim ut cognoverint adulterium, qui eam habet uxorem, dimittat. Et illa quidem post actam poenitentiam, si* UXOR DEFUNCTA FUERIT, POTEST ALTERI SOCIARI, ILLA VIVENTE NEQUAQUAM. *Illa vero nunquam ulterius poterit in conjugium assumi, et jugi poenitentiae submissa usque ad exitum vitae communionis gratiam accipiat* (1). Idem hoc statutum suis Canonibus inseruerunt duo Galli Episcopi, nimirum Theodulphus Aurelianensis (2), et Isaacus Lingonensis (3). Tum

(1) *Lib.* VII. *cap.* 296.

(2) Theodulphus *Capitul.* II. *Tom.* IX. *Concil.*

(3) *Canones* Isaaci Lingonensis *tit.* 3. *de Adulter. cap.* 8. *Tom.* X. *Concil.*

canonem Forojuliensis Synodi habemus, quem supra recitavimus, quique post illa verba, *non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere*, haec addit: *Sed nec adulterae, quae poenas gravissimas, vel poenitentiae tormentum luere debet, alium accipere virum nec vivente nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito* (1). Sic et in Triburiensi Synodo Germaniae Episcopi congregati postquam decreverunt, ut viri ac mulieres incesti crimine obstricti *usque in exitum vitae continentes permanerent* (2); demum de uxore adultera agentes, quae a viro sejuncta erat, isthaec subjiciunt: *maritus vero, quamdiu ista vivat, nullo modo alteram ducat* (3). Quamobrem cum in hisce posterioribus testimoniis, aeque ac in prioribus objectis eadem crimina, idest incesta et adulteria memorentur, eademque poena affecti conjuges rei nuptias inire in perpetuum vetentur; quid aliud modo restat, nisi ut etiam permissum innocentibus conjugium haud aliter in

(1) *Concil. Forojul. can.* 10. *Tom.* IX. Concil.

(2) *Concil. Tribur. can.* 43. 44. 45.

(3) *Can.* 46. *Tom.* XI. Concil.

his atque in illis, post mortuum scilicet legitimum conjugem intelligamus?

Deinde nos oppugnant. canonum Vermeriensis, nec non Compendiensis Synodi auctoritate, qui indicare videntur alias quoque graviores caussas praeter adulterium ea aetate admitti consuevisse, ob quas matrimonii vinculum dirimeretur. Et sane Vermeriense Concilium: *Si quae, inquit, mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit, et ipse vir ipsius hominem se defendendo occiderit, et hoc probare potest, ille potest ipsam uxorem dimittere, et si voluerit aliam accipiet. Ipsa autem insidiatrix poenitentiae subacta absque spe conjugii maneat* (1). Et alio canone: *Si quis necessitate inevitabili cogente in alium ducatum aut provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui mentiri non poterat, secutus fuerit, et uxor ejus, cum valet et potest, amore parentum aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui necessitate*

---

(1) *Concil. Vermeriense Can.* 5. *Tom.* VIII. *Conc.*

cogente in alium locum fugit, si nunquam in patriam suam se reversurum sperat, si se abstinere non potest, aliam uxorem cum poenitentia potest accipere (1). Compendiensis vero Synodus haec habet: *Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipsa femina si vult accipiat. Similiter et vir* (2). Adjiciunt et Gregorium II. qui ad Bonifacium Moguntinum Antistitem rescribens: *Nam quod,* inquit, *proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opera subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit, et non detestabilis culpa excludit* (3). Ex quo Gregorii responso arguunt in Ecclesia Romana per ea tempora hujusmodi obtinuisse discipli-

(1) *Can.* 9.
(2) *Can.* 16.
(3) *Epist.* 13. Cap. 2. *ad Bonifacium. Tom.* VIII. *Concil.*

nam, ut diremto conjugio non modo ob adulterium, sed ob morbum quoque, qui conjugii usum impediret, viro et uxori, vel alterutri secundae nuptiae concederentur.

Sed canonem de muliere insidiante exponere eodem modo ne ambigas, ac superiores, ut scilicet ipsa ne decedente quidem viro nubere possit, huic vero tantum post uxoris obitum permittatur conjugium: etenim ita postulare videntur et similes species, et similes loquendi formae. Difficilior vero canonis de viro peregrinante expositio existimari debet; quamvis eadem sane ratione hunc explicandum esse plerique contendant. Nam istam explicationem prorsus respuunt ea verba: *ipsa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat;* ex quibus consequitur, ut vir innocens, cui procul dubio aliquid amplius indulgetur, uxoris mortem exspectare non cogatur. Quamobrem ut hujus canonis sensum adsequamur, in mentem revocanda videtur eorum temporum consuetudo, ex qua mulieres aut viri, absentibus conjugibus, post aliquot annos illos vita functos judicantes nova conjugia inibant. Isthanc autem consuetudinem ex Constantini M. lege fortasse ortam, per quam mulieri nihil de

viro absente scienti post quadriennium nubendi facultas dabatur (1), haud quidem probabant, sed dumtaxat ad majora cavenda mala tolerabant Episcopi; ita tamen ut si reverterentur quocumque tandem tempore absentes conjuges, diremto posteriori matrimonio, ad pristinum necesse esset remeare. Atque id in primis nosse datur e canonum Collectione Egberti Eboracensis Metropolitae, de qua supra injecta est mentio; nam in ea ita legitur: *Si mulier discesserit a viro suo despiciens eum, nolens revertere et reconciliari, post quinque vel septem annos cum consensu Episcopi, ipse aliam accipiat uxorem, si continens esse non poterit, et poeniteat tres annos, vel etiam quamdiu vixerit, quia juxta sententiam Domini moechus comprobatur* (2). Ubi duo adnotanda occurrunt: alterum quod posterius conjugium non tamquam legitimum et honestum adprobatur, sed tamquam minus malum toleratur; id enim innuunt ea verba, *juxta sententiam Domini*

(1) *L. uxor Cod. de repudiis et judic.*

(2) *Excerpt. Canon.* Egberti Eborac. *can.* 122. *Tom.* VIII. *Concil.*

moechus comprobatur: alterum vero quod qui, absente conjuge, novas contrahens nuptias adulterii periculum adit, si nempe illa adhuc vivit, poenitentiae subjicitur; quod ipsum praescribitur et in Vermeriensi, de quo agimus, canone. Atque alius similis exstat in eadem Collectione canon (1). *Si cujus uxor in captivitatem ducta fuerit, et ea redimi non poterit, post annum septimum alteram accipiat: et si postea propria, idest prior mulier de captivitate reversa fuerit, accipiat eam, posterioremque dimittat. Similiter autem et illa sicut superius diximus, si viro talia contigerint, faciat* (2). Sed non

(1) *Can.* 123.

(2) Citati Egberti canones e Theodori Poenitentiali, quod edidit Jacobus Petitus Lutetiae Paris. an. 1677. desumti videntur; siquidem iisdem fere verbis expressi leguntur *cap.* 11. *de conjugiorum quaestionibus Tom.* I. Verum in eodem Poenitentialis capite subditur hic alius canon: *Si cujus uxorem hostis abstulerit, et eam ipse adipisci non potest, licet aliam tollere; melius est sic facere, quam fornicari.* Quibus verbis plane significat Theodorus non esse justum ac legitimum alterum conjugium, sed esse minus grave facinus, quam scortari; atque illud *licet* idem omnino valet, ac toleratur, seu canonica poena non punitur. Sed ea quae

*

modo tempore, de quo loquimur, hic mos obtinebat, verum etiam Leonis M. aetate, seu V.

---

statim sequuntur, nimirum: *si iterum post haec uxor illa venerit ad eum, non debet recipi, si aliam habet; sed illa tollat alium virum, si unum ante habuerit*, non ab ipso Theodoro prodiisse, sed ab aliena manu, quidquid alii sentiant, adjecta mihi videntur. Etenim I. non conveniunt cum simili Poenitentialis canone, qui sic se habet: *Si mulier in captivitate per vim ducta redimi non potest, post annum liceat alteram accipere. Si igitur alteram duxerit uxorem, priorem de captivitate reversam accipiat, posteriorem dimittat.* II. Ecclesiae Romanae disciplinae adversantur, quae etsi patiebatur viros, quorum uxores bello captae erant, alias inire nuptias, eos tamen recipere priores uxores jubebat, si domum reverterentur; quemadmodum ex Innocentii I. ad Probum superius citata epistola, et ex Leonis M. ad Nicetam Aquilejensem infra adducendis literis abunde constat. III. Vix est credibile Theodorum, qui Graecus homo Graecorum instituta etiam a Latinis discrepantia in suo Poenitentiali commendat; ut cum animantium suffocatorum carnes comedi prohibet, atque ex Basilii auctoritate tertias nuptias interdicit, mulieresque viros adulteros dimittere non sinit; vix est, inquam, credibile eum voluisse canonem condere aperte cum Basilii, imo potius Ec-

saeculo idem factitatum cernimus. Quod ut melius perspicias, ipsius Leonis ad Nicetam Aqui-

---

clesiae Graecae doctrina pugnantem. Nam hic (*epist. canon. ad Amphiloch. can.* 31.) diserte docet adulteram esse mulierem, quae alteri nubit, antequam de viri absentis morte certior facta est. Haud ergo asserere potuit Cantuariensis Metropolita *non debere recipi a viro priorem uxorem ad eum venientem, si aliam habet, et illam tollere posse alium virum;* quasi alterum matrimonium legitimum haberi posset, non verum adulterium. Ceterum si quis harum rationum pondere nihil motus contendere pergat integrum canonem Theodoro esse tribuendum, non repugnabo; modo tamen is mecum fateatur isthaec verba *uxor non debet recipi, et tollat alium virum* ita esse accipienda, ut significetur non quod fieri oporteat, sed illud tantum quod ut minus malum lex Ecclesiastica facere permittat.

Heic autem pro re nata aliam Theodori regulam exponere juvat, quam ex ejus Poenitentiali excerptam nobis objicit Cavallarius, tamquam firmissimum argumentum, unde ostendatur plures e veteribus censuisse nuptias per adulterium dissolvi. Ea invenitur in allato *capite* 11. (sive *cap.* 116. ex Dacherio *Tom.* IX. *Spicil.*) his verbis: *Si cuius uxor fornicata fuerit, licet eam dimittere, et aliam accipere.* Verum etiamsi Viro docto concedimus istud capitulum Theodori esse (de quo

lejensem scribentis praestat locum licet longiusculum apponere: *Cum*, inquit, per *bellicam cla-*

---

merito ambigi potest), haud eo sensu esse intelligendum, quo ipse existimat, inde plane colligitur, quod Concilium Herufordiense an. 673, cui idem Cantuariensis Metropolita praefuit, aperte edixit post dimissam ob adulterium uxorem non posse a Christiano aliam duci. Verba canonis 10, quem alibi laudavimus, haec sunt: *Nullus conjugem propriam, nisi ut sanctum Evangelium docet fornicationis caussa, relinquat. Quod si quis propriam expulerit conjugem legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse voluerit, nulli alteri copuletur.* Ad haec Egbertus Eboracensis Praesul, qui non multis post Theodorum annis vixit, cuique Britannicae Ecclesiae disciplina perspecta esse debebat (in *Excerptionibus ex dictis et canonibus SS. Patrum can.* 120) Concilii Milevitani decretum pluries a nobis memoratum recitat; tum (*can.* 121) haec ex Augustino refert: *si mulier fornicata fuerit, relinquenda est, sed illa vivente, altera non est ducenda.* Quomodo igitur haec, aliaque Anglicana illius aetatis monumenta, quae alias producta lubenter nunc praetereo, cum objecto Theodori capitulo convenire queunt? Quare non est dubitandum, quin illud *licet aliam accipere* idem sonet, ac nulla afficitur poena canonica aliam accipiens; eoque praesertim, quod non

dem, et per gravissimos hostilitatis incursus ita quaedam dicatis divisa esse conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminae eorum remanserint destitutae, quae viros proprios aut interemtos putarint, aut nunquam a dominatione crediderint liberandos, et ad aliorum conjugium solitudine cogente transierint; cumque nunc statu rerum auxiliante Domino in meliora converso, nonnulli eorum, qui putabantur periisse, remeaverint; merito caritas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quae aliis junctae sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum, quod a Deo jungitur mulier viro, et iterum praeceptum agnovimus, ut quod Deus conjunxit, homo non separet; *necesse est ut legitima foedera nuptiarum reintegranda credamus, et*

---

semel τὸ *licet* hac significatione Theodorus usurpet. Ac ne longius abeamus, cum in modo allato canone dixit: *si in captivitate per vim ducta redimi non potest* (uxor), *liceat post annum aliam accipere*, minime profecto censebat ob conjugis servitutem diremtum esse conjugii vinculum; si enim ita sentiret, haud ista subjiceret: *si alteram duxerit uxorem, priorem de captivitate reversam accipiat, et posteriorem dimittat.*

remotis quae hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit, reformetur; omnique studio procurandum, ut recipiat unusquisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis judicetur, et tamquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui iam non esse existimabatur, assumsit. .... Si autem aliquae mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captae, ut malint his cohaerere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandae, ita ut etiam Ecclesiastica communione priventur (1). Haec sane respondit Leo Aquilejensi Antistiti: quod ipsum responsum iisdem verbis recitavit Stephanus II. medio saeculo VIII. in epistola ad Brittaniacum monasterium missa (2). Non mirum igitur si Vermerienses PP. tempori inservientes virum in aliam provinciam necessitate cogente profectum, quem uxor sequi noluerit, quique nunquam in patriam se reversurum speraret, aliam ducere mulierem patiantur. Non est tamen il-

---

(1) *Epist.* 79. *ad Nicetam Aquilejens. Tom.* IV. *Concil.*

(2) *Respons. ad Brittan. monaster. cap.* 19.

lud heic praetereundum, quod Galli Episcopi in Synodo Compendiensi congregati quatuor circiter post Vermeriensem annis canonem omnino citato contrarium his verbis sanxerunt: *Si qui propter faidam* (inimicitiam) *fugiunt in aliam patriam, et dimittunt uxores suas, nec illi viri, nec illae feminae accipiant conjugium* (1). Unde profecto discimus Vermeriensem sanctionem a Compendiensibus Episcopis fuisse emendatam, moremque jamdiu inductum tamquam corruptelam excisum: idque fortasse factum instante Apostolica Sede, siquidem huic canoni consensisse legitur Georgius Episcopus Stephani II. Legatus.

Quod vero ad Gregorium II. attinet, ut demus ejus decretum genuinum esse, de quo nonnulli dubitant, haud tamen credere fas est hunc Pontificem Apostolicae Sedis traditionem deserere voluisse, ex qua legitimi matrimonii vinculum cujusvis morbi caussa dirimere non licebat. Cujus quidem traditionis testem gravissimum exhibemus Stephanum II. qui paucis post Gregorium annis Pontificatu auctus est; nam is in

(1) *Can.* 18.

epistola, quam Brittan. monasterio scriptam supra memoravimus, ita de hac re statuit: *Si quis se in conjugio copulaverit, et uni eorum contigerit, ut debitum reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro alia infirmitate, excepto si daemonii infirmitas, aut leprae macula supervenerit. Ceterum si ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint, invicem conjuncti unus alteri servitium exhibeat* (1). Unde cognoscitur ob daemonum tantum vexationem, aut lepram posse separari conjuges, sed ita stabili conjugio perdurante, ut post ipsos morbos depulsos denuo inter se conjungantur. Deinde Nicolaus, qui paullo plus uno saeculo a Gregorio II. distat, ex quovis morbo, qui matrimonio jam contracto accesserit, non posse conjugium solvi expressius per haec verba definit: *Hi qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit; ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt* (2). Itaque cum Ecclesiae Romanae doctri-

(1) *Respons. ad Brittaniac. monaster.* cap. 2.
(2) *Gratian. càn.* 25. C. 32. q. 7.

na, contra atque opinantur adversarii, Gregorii rescripto aperte repugnet, dicendum omnino videtur ibi de eo morbo agi, qui a Canonistis *impotentia* nuncupatur, quique matrimonium non consequens, sed antecedens illud jam nullum reddiderat, ut proinde nil prohibere posset, quominus viro alterius conjugii venia daretur.

Eodemque sane pacto intelligendam putamus Compendiensis Concilii regulam de viro lepra foedato, quae cum Gregorii decreto nobis paullo ante objiciebatur. Nisi enim quis credere velit Gallicanam hanc Synodum doctrinae ab universa Ecclesia receptae refragari ausam esse, quod sane recta ratio suspicari non patitur; obiectus canon de eo morbo exponatur necesse est, qui nuptias antecedens virum rei venereae imparem efficiebat, quique idcirco ceu *impotentia* considerari poterat. Quod si quis his non contentus, in canone Compendiensi, et in Gregorii decreto de morbo agi, qui non antecessit, sed consecutus est matrimonium, pervicacius contendat; nil profecto impedit, quominus ita sentiat, non ex ea tamen ratione, quam cum Launojo comminiscitur Cavallarius, quod scilicet per eas aetates ex quavis caussa, quae con-

juges simul habitare non sineret, nuptias legitimas dissolvi posse Latini crederent; sed quod impedimentum, ut ajunt, *impotentiae* non modo praecedens, sed matrimonium quoque sequens ad illud dirimendum satis esse nonnulli tunc temporis falso putarent. Qui quidem ita in hac re decipi potuerunt, ut reipsa deceptus est Clemens III. cum, teste Innocentio III. (1), propter haeresim alterius conjugis matrimonium dissolvi posse statuit, putans videlicet in haereticum etiam quadrare, quod de infideli tantum edixerat Apostolus.

Tertio demum opponitur Concilium Romanum, an. 826. sub Eugenio II. habitum, a quo id statuitur (2). *Nulli liceat excepta caussa fornicationis uxorem relinquere, et deinde aliam copulare; alioquin transgressorem priori convenit sociari conjugio.* Idemque canon confirmatus fuit ab alia Romana Synodo, quae sub Leone IV. an. 853. est convocata. Horum autem Conventuum auctoritatem mirum quantum extollit Launojus, quo ostendat saeculo nono po-

---

(1) *Cap. 7. de divortiis.*

(2) *Can. 36. Tom. IX. Concil.*

tissimum Romanam Ecclesiam, seu potius totum Orbem Christianum in ea fuisse sententia, ut adulterii caussa priori dissoluto conjugio, alteri sociari fas esse censeret. At si ita res erat, ut vult Launojus, quî, quaeso, evenit, ut Nicolaus I. et Joannes VIII. Pontifices in Italia, Paschasius, et Hincmarus cum Synodis Parisiensi VI. et Tullensi II. in Gallia, Rabanus cum Synodo Triburiensi in Germania, aliique, quorum loca jam recitavimus, eodem tempore docerent ex Evangelica lege viro haud licere, post dimissam uxorem licet adulteram, aliam ducere? Nonne hinc evidenter conficitur, verba illa Romani canonis *excepta caussa fornicationis* cum priori membro tantum, idest *nulli liceat uxorem relinquere*, non item cum posteriori *et deinde aliam copulare* esse conjungenda? Nec porro mirum videri debet, quod Concilii Patres hoc ambiguo loquendi genere usi fuerint: nostri enim Servatoris sententiam, quae obscurior est apud Matthaeum, iisdem fere verbis exprimere maluerunt; praesertim cum nullus esset metus, ne in errorem labi possent Fideles, qui a Pastoribus de Evangelici textus intelligentia diligenter edocebantur.

CAPUT VI.

Saeculo XI. *et sequentibus idem de repudiis, ac prioribus aetatibus docuit Latina Ecclesia. Hallucinatio Launoji existimantis* XII. *saeculo Theologos Scholasticos a majorum doctrina descivisse. Ejusdem audacia in Tridentino decreto explicando notatur.*

Celebriores XI. saeculi Scriptores, cujusmodi fuerunt Lanfrancus Cantuariensis Episcopus, Anselmus Lanfranci discipulus, atque in Cantuariensi Episcopatu successor, nec non Ivo Carnotensis Praesul nimis aperte Catholicam sententiam tuentur. Quorum primus ad Thomam Eboracensem Antistitem ita scribit (1): *De his autem, qui uxores desponsatas caussa fornicationis relinquere, aliasque sibi conjungere volunt (hoc enim vestra prudentia a me requisivit), Dominus Jesus Christus, quid sentiendum sit, in Evangelio secundum Mar-*

(1) Lanfrancus *epist.* 10. *ad Thomam Eboracensem.*

cum apertissime dicit: » Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur ». *Item secundum Lucam :* » Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur ». *Sunt etiam de hac re plurimae sanctorum Patrum auctoritates, sed ubi sol lucet, candelabrum ad proferendum lumen proferri minime oportet. In his verbis Dominicis luce clarius liquet, quod vivente viro, vel uxore extraneam copulam quaerere nulli eorum licet.* Alter vero Matthaeum illustrans ait (1): *Hic autem praecipit non dimittere uxorem, nisi tantum excepta caussa fornicationis: si enim ruperit legem conjugii, potest eam homo a se separare, ut commistionem illam auferat sibi, quam violavit; sed tamen sacramentum conjugii remanet, ut non aliam ducat.* Et alio loco (2) : *Postquam mulier, quae est juncta viro, et una in carnali copula, in aliam carnem illam unitatem transmiserit, et for-*

(1) *Comment. in cap.* 5. Quae tamen commentaria in Matthaeum a plerisque non Anselmo, sed alii Scriptori tribuuntur.

(2) *Comment. in cap.* 19.

nicatione diviserit, non amittit quidem vinculum conjugii, sed meretur non amplius carnaliter cum viro suo copulari, quia contra copulationem peccavit; et quia vinculum conjugii remanet, ideo addit: » et qui dimissam duxerit, moechatur ». Ivo denique Carnotensis epistola ad Daimbertum Senonensem Metropolitam data: *De Hierosolymitanis*, inquit, *quorum uxores fornicatae sunt, bene mihi videtur sentire sanctitas vestra, quia secundum Evangelicam et Apostolicam doctrinam oportet eos aut ad proprias uxores redire, aut eis viventibus sine ulla carnis commistione manere* (1). Ac post citatos Augustinum, et Hieronymum subdit: *His et aliis ejusmodi auctoritatibus freti, si quando apud nos caussa fornicationis tale divortium contigerit, censura Ecclesiastica cogimus separatos vel sibi reconciliari, vel sine spe manere conjugii.* Quae quidem testimonia adeo clara sunt et expressa, ut nullam aliam postulent explicationem; praesertim cum ipse Launojus tres laudatos Auctores adversum se stare non diffitea-

(1) *Epist.* 125.

tur. His porro addere possumus et Brunonem sive is sit Carthusianorum Parens, sive Episcopus Signiensis, qui ambo eodem saeculo vixerunt. Bruno igitur Paulli verba, *his qui matrimonio juncti sunt* etc. exponens sic loquitur (1): *Non solum dico*, *sed* praecipio; non ego, sed Dominus, *idest non mea auctoritate, sed Domini praecipientis in Evangelio*, uxorem non discedere a viro. *Hoc praeceptum quia satis notum erat, imperfectum posuit, praetermittens hoc, nisi caussa fornicationis.* Quod si uxor a viro discesserit, *propter fornicationem, aut per consensum continentiae, praecipio illam* manere innuptam, aut reconciliari viro suo...... Vir non dimittat uxorem *nisi propter fornicationem; quam si propter hoc dimiserit, maneat innuptus, vel uxori reconcilietur.* Atque haec Bruno, quae satis per se patent. Nec praetereundus videtur canon Concilii Gerundensis in Hispania an. 1068. qui haec habet: *Constituerunt, ut illi qui suas uxores dimiserunt, et alias acceperunt, suas recuperent, si vivae fuerint, et alienas dimit-*

(1) *Comment. in cap. 7. epist. I. ad Cor.*

tant (1). Licet enim heic generatim de viris uxores dimittentibus sermo sit, nulla tamen adest dubitandi ratio, an ii quoque comprehendantur, qui uxores adulteras expulissent: nam ea, qua de loquimur, aetate haud alia fere de caussa, quam ob adulterium divortia fieri Ecclesiae Antistites patiebantur.

Quae cum ita sint, in aëre certe piscatur Gallus Theologus, cum patrocinium sibi quaerit ex Turonensi Synodo an. 1060, quae a Stephano Cardinali Nicolai II. Legato habita hunc edidit canonem: *Qui suam uxorem sine Episcopali judicio dimittens aliam duxit, vel duxerit, donec se fructuosae tradat poenitentiae, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et a liminibus Ecclesiae sit exclusus et alienus* (2); quasi inde recte inferatur, dimissa uxore ex Episcopali judicio, adulterii scilicet caussa, potuisse legitime aliam duci. Nam antea animadvertimus saepe olim Synodos praesertim Gallicanas cavisse, ne uxores quantumvis flagitiosas sine Episcopali judicio dimitterent Fide-

(1) *Can. 4. Tom.* XII. *Concil.*
(2) *Can. 9. Ibidem.*

les, ut ita rariores efficerent conjugum separationes, simulque nova conjugia, quoad ejus fieri posset, prohiberent. Imo cum omnes illustriores XI. saeculi Scriptores negarint, ut vidimus, adulterio matrimonii nexum posse scindi, non est dubitandum, quin idem de hac re senserint Turonensis Concilii Episcopi: ac propterea tantum abest ut adversariis faveat citatus canon, ut potius ad canones valde similes superiorum aetatum expeditius intelligendos nos ducat. Sed risum profecto movet idem Launojus, cum post Turonensem Synodum testem appellat Gregorium VII. ita ad Hubertum Genuensem Episcopum scribentem: *Scriptum est quippe de conjugali vinculo:* » Quod Deus conjunxit, homo non separet »: *et Veritas omnino prohibet, ne vir uxorem suam, nisi forte caussa fornicationis relinquat* (1). Cui enim latet huiusmodi verbis dumtaxat convictus et societatis, non vero vinculi connubialis dissolutionem designari?

Iam vero nulla est ratio, quamobrem demonstrare velimus Theologos Latinos, qui post un-

(1) *Lib. I. epist.* 48.

decimum saeculum usque ad Tridentina Comitia floruere, in accepta a patribus doctrina permansisse; ipse enim Parisiensis Doctor, quem oppugnandum suscepimus, non inficiatur omnes fere Scholasticos post Magistrum veluti certum docuisse, nulla ex caussa, ne adulterio quidem legitimas nuptias dirimi posse. Verum in eo hallucinatur vir doctus, quod hos Theologos a majorum suorum sententia discessisse, et unius Augustini auctoritatem secutos novum dogma in Ecclesiam inducere studuisse putat. Nam si ea solum bene multa veterum Auctorum testimonia, quae ipse congerit, quaeque praejudicatae suae opinioni velificans depravat, atque in alienum sensum deflectit, animo attento affectibusque vacuo considerasset, profecto vidisset non unum Augustinum, sed cunctos Latinos Scriptores, ac plerosque etiam Graecos a Scholasticis ceu duces habitos fuisse. Quin etiamsi vel unum Hincmari libellum *de divortio Lotharii, et Tetbergae*, quem pro se testem perperam citat, totum perlegere voluisset, procul dubio illum locum offendisset a nobis superiori capite laudatum, ubi Rhemensis Archiepiscopus, qui nono saeculo vixit, nimirum longe ante Scholasticae Theologiae ortum, postquam tum e Scripturis,

tum ex Augustino et Hieronymo ostendit conjuges ob adulterium separatos non posse nova inire conjugia, tandem omnes omnis aetatis Catholicos Doctores idipsum confirmare tradit: *Huic*, inquit, *Evangelicae veritati et Apostolicae doctrinae hoc modo concordant Innocentius, Leo, et Gregorius Apostolici, Africanum quoque Concilium, Ambrosius, Joannes Constantinopolitanus, Origenes, Beda Presbyter venerabilis, CUNCTIQUE DOCTORES CATHOLICI* (1). Qua ergo fronte asseverare audet Launojus post Magistrum, et Aquinatem unius Augustini sententiam Scholasticos fuisse amplexos? Praeterquamquod satis intelligi nequit, ecquid recentiores impellere potuerit Theologos, ut vetustam Patrum et Conciliorum doctrinam, universaeque Ecclesiae disciplinam desererent, atque unius Doctoris, qui tamen senior factus, ut putat Launojus, priorem sententiam mutavit, auctoritatem reveriti repente nova placita, et antehac inaudita sequi mallent. Sed pudet in confutanda tam absurda et abnormi opinione diutius immorari (2).

(1) *Tom.* I. *Operum* edit. Sirmondi.

(2) Noster Cavallarius (citato loco) Launoji vesti-

Haec igitur cum ita se habeant, cumque abunde huc usque demonstratum sit Latinam Ecclesiam constanter omni aetate docuisse ob adulterium segregari conjuges, non ipsum conjugium dirimi posse; nemini mirum videri debet, si Oecumenica Tridentina Synodus sollemni hac definitione idem dogma firmaverit: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matri-*

---

giis insistens affirmat divortiorum disciplinam, quae tamdiu fluctuaverat, post X. saeculum certiorem apud Latinos evasisse, et Scholasticos unius ferme Augustini auctoritate fretos passim docuisse, nulla ex caussa, vivente utroque conjuge, nuptias dissolvi posse. Sed adeo addictus est jurare in verba magistri vir doctus, ut minime sentiat, quam turpiter a se ipse dissideat, et pugnantia simul admisceat. Nam si, ut idemmet dicit, veteres Patres in diversa abierunt, et alii propter adulterium non matrimonii vinculum, sed tantum vitae consuetudinem abrumpi, alii vero vinculum quoque conjugii dirimi docuerunt; quonam pacto asseri potest uno ferme Augustino imixos Scholasticos hanc doctrinam provexisse? Numquid ignorabant illi Theologi ea Concilia, atque eos Scriptores, qui praeter Augustinum magno numero in camdem concesserant sententiam?

monii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui caussam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit; anathema sit (1). Quare nimis confidenter atque audacter, nequid gravius pronunciem, asseruit Parisiensis Theologus decretum hocce minime ad Fidem pertinere (2). Nam licet Tridentini Patres canonem prius cum anathemate in eos conceptum, qui matrimonium ob adulterium dissolvi posse dicerent, postea Graecorum gratia, qui Venetae ditioni parebant, hoc pacto temperarint; non inde tamen colligi potest eos a priore sententia recessisse. Quamvis enim hic canon directe Protestantes percellat, qui Ecclesiam errare jactitant, dum connubiale vinculum adulterii caussa haudquaquam dirimi docet; quis tamen non videt eodem oblique etiam peti recentiores Graecos, qui ob fidem thori non servatam conjugium abrumpi posse existimant, cum utique necessario sequatur, ut si non er-

(1) *Sess.* 24. *can.* 7.
(2) *Cit. loco* sub finem.

ret Latina Ecclesia, errent Graeci, qui contrarium tuentur? Atque huic argumento major vis accedat necesse est, si consideremus discrimen inter utrumque canonem perquam tenue esse ac subtilius, nec eo mutato sententiam, sed solum ferme verborum sonum variari; quod quidem Pallavicinus ipse, dum Suavi respondet, seu Paullo Sarpio scribenti canonis mutationem *aeream, et utilitatis effectusque vacuam esse*, quodammodo fateri cogitur inquiens: *Non solum revera discrimen est, quamvis subtilius; sed etiamsi non inesset, convenientius fuisset Reipublicae satisfacere eam mutationem petenti, ubi per eam merus sonus, non autem significatio varietur* (1). Praeterea cum adversus contumaces haereticos Tridentinum Concilium ex Bibliorum auctoritate perpetuum matrimonii vinculum statuit, obscuriora Sacri Auctoris verba procul dubio declarare voluit, enatamque de eorum sensu controversiam dirimere. At Ecclesia cum verum Scripturarum sensum exponit, easque non aliter, ac ipsa intelligit, intelligendas anathematis poena proposita decernit, omnino rem ad Fidem pertinentem,

(1) *Lib.* XXII. *cap.* 4. *Histor. Concil. Trid.*

quae scilicet in Sacro Textu continetur, constituere dicenda est. Et sane si Ecclesiae canones ita temere interpretari fas esset, de plurimis per Concilia generalia statutis Fidei dogmatibus nobis adhuc dubitare liceret, utrum ad disciplinam, an ad Fidem spectent; neque ulla alia certa atque explorata suppeteret nota, qua a disciplinae regulis Fidei definitiones distingui possent. Quod cum ne ipse quidem Launojus affirmare audeat, ejus sententia tamquam falsa, et Tridentinis Patribus injuriosa est prorsus rejicienda. Idque ex eo manifestissime patet, quod omnes Catholici Theologi, qui post Tridentina Comitia scripsere, si unum aut alterum cum Launojo excipias, Fidei decretum esse citatum canonem unanimi consensione tradiderunt. Illud vero dumtaxat disputare sibi integrum esse post Synodicam sanctionem sunt arbitrati, sitne ea expressus et clarus Fidei articulus, an dogma cum Fide connexum, obscure tamen in Divinis Libris contentum, atque ut ita dicam involutum; de qua quaestione adiri potest Honoratus Tournelyus (1).

(1) *De Sacram. Matrimon. quaest.* V. *artic.* 2. *conclus.* 3.

Sed quo magis appareat Launoji audacia, advertere libet Cardinalem Cajetanum, et Ambrosium Catharinum, qui liberius, non secus ac Parisiensis Theologus, de hac re scripserunt (1), saeculo XVI. ante definitionem Tridentinam vixisse; quam si vidissent, eidem profecto subscribere haud dubitassent. Ac praesertim Cajetanus timide et verecunde suam exponens opinionem, eam ita Ecclesiae judicio subjicit: *Quoniam non audeo opponere me contra torrentem Doctorum, et judiciorum Ecclesiasticorum, ideo dixi textum* (c. 19. Matth.) *nihil disponere de dimittente fornicariam, Intelligo igitur ex hac Domini Jesu Christi lege licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, et posse ducere aliam uxorem, salva semper Ecclesiae definitione, quae hactenus non apparet.* Rursus vero Launojus, cui post Tridentinum decretum haud aliam Ecclesiae definitionem exspectare fas erat, postquam ex Pallavicini Historia mutati canonis caussam narravit,

---

(1) Cajetan. *in cap.* 19. *Matth.* Cathar. *Opusc. de Matrim. quaest. ultima.*

sic tandem impudentissime concludit: *Venetorum Oratores magna quidem suis ad Tridentinos Patres admonitionibus consecuti sunt, majora consecuturi sine dubio, si Orientalis Ecclesiae opportunitatibus Romanae et Occidentalis Ecclesiae opportunitates admiscuissent* (1). Quibus plane verbis significat, potuisse Venetos Oratores, si vehementius flagitassent, a Concilio impetrare, ut ubique gentium connubialis vinculi dissolvendi propter adulterium Fidelibus fieret potestas. At heic a Gallo quaerimus Theologo, quînam potuissent Tridentini Praesules *contra torrentem Doctorum, et judiciorum Ecclesiasticorum*, ut cum Cajetano loquamur, nova invecta disciplina matrimonii dissolutionem concedere? vel quânam ratione sibi licere arbitrati essent contra unanimem Patrum consensum, et universae Ecclesiae doctrinam in re ad mores pertinente novam Evangelici textus interpretationem edere, et Christianis proponere? Sed satis superque de Launoji temeritate atque

(1) Etiam Cavallarius asserit Tridentinum canonem non videri ad Fidem pertinere; utque id commentum lectoribus persuadeat, tamquam e cortina oraculum, Launoji testimonium proferre non veretur.

impudentia in Tridentino canone exponendo: quare ad alia, quae consideranda initio constituimus, statim transire oportet.

CAPUT VII.

E Graecis priscis Scriptoribus fere omnes in re, de qua agimus, cum Latinis consentiunt. Adversa unius aut alterius sententia contemnitur. Recentiorum Graecorum consuetudo Catholico dogmati non officit.

Huc usque quid de divortiis singulis aetatibus Latina docuerit Ecclesia, accurate, quantum licuit, persequi sategimus: quare hoc capite ad Graecae Ecclesiae sententiam discutiendam sermonem convertere par est: quo ostendere tandem possimus Launojanam opinionem non modo Latinorum, sed etiam Graecorum Scriptorum auctoritate vehementer oppugnari. Ac profecto antiquissimus auctor Pastoris sive sit Hermes ab Apostolo memoratus (1), ut veteres censent, sive alius posterior, ut nonnullis recentioribus

(1) *Epist. ad Rom. cap. ultimo.*

placet (1), aperte negat virum uxorem adulteram dimittentem aliam ducere posse. Nam ipsi interroganti, quid agendum sit, *si permanserit in vitio* (adulterii) *mulier*, sic Dominus respondit: *Dimittat illam vir, et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur.* Et infra: *Ergo non debet, dimissà conjuge sua, vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro, et in muliere* (2). Altero vero Ecclesiae saeculo vixit Justinus Philosophus et Martyr, qui inter Christianae doctrinae capita hoc recensuit: *Qui repudiatam a viro altero duxerit, adulterium committit* (3). Et ne quis putet Justinum de ea loqui, quae repudiata sit citra adulterii crimen, idem alibi factum cujusdam mulieris Christianae narrans, quae viro suo propter libidinosam eius et perditam vitam nuncium miserat, diserte ostendit divortium a Christo adulterii caussa permissum non vinculum maritale, sed tantum convictum, vitaeque consuetudinem dis-

(1) Plura de Herme *Pastoris* auctore habet Fabricius in *Cod. Apocr. N. Testam.*

(2) *Lib.* II. *mand.* 4.

(3) *Apolog.* 2.

solvere : *Mulier quaedam*, ait, *cum marito suo, homine libidinoso fuit, libidini et ipsa prior dedita : ubi autem illa mysticam arcanamque Christi professionem perdidicit, cum ipsa moderatam continentemque vitam est amplexa, tum idem quoque ut faceret, marito suasit. . . . . Sed cum multa saepe dicendo nihil apud eum efficeret, atque ille in procaci petulantia sua permaneret, mulierem improbis suis moribus reddidit alieniorem. . . . . Postquam vero maritus Alexandriam profectus, multo etiam deterior factus diceretur, femina verita ne, si in conjugio manens eodem ac ille lecto, eademque mensa uteretur, scelerum et impietatis ejus particeps fieret, misso illo qui apud vos dicitur repudii libello, ab eo sejuncta est* (1). Verba ipsa Justini afferre volui, ut quisque videat, quantum decipiatur Launojus, dum tradit per hunc repudii libellum a S. Martyre memoratum licuisse mulieri, soluto priori conjugio, alterum inire : id enim ex illius narratione nullo quidem pacto inferri potest. Justino addi potest Athenagoras, qui et ejusdem

(1) *Apolog.* 1. sub initium.

aetatis fuit, et insignis pariter Christianae Religionis defensor. Is de suorum temporum Fidelibus haec habet: *Ut natus est unusquisque nostrum, manet, vel nuptiis copulatur unicis; secundae enim decorum adulterium sunt*: » Qui » enim uxorem suam dimiserit, et duxerit aliam, » adulterium admittit », *inquit Dominus noster: neque illam dimittere concedens, cujus delibata est pudicitia, neque alteram ducere* (1). Nemo autem suspicari debet Athenagoram adulterii caussam excipere velle, tum quia generatim et universe de viris uxores dimittentibus loquitur, tum potissimum quod secundas nuptias ob continentiae studium *decorum adulterium* appellat. Eademque est Clementis Alexandrini mens, qui sub alterius exitum saeculi, et ineunte tertio floruit. Postquam enim scripserit: *Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit: non dimittes uxorem, praeterquam propter fornicationem*; haec statim subjicit: *adulterium autem existimat conjungi matrimonio, vivo al-*

(1) In *Apologia*.

tero ex separatis (1). Quibus sane verbis duo non obscure Clemens innuit; primum non posse virum a conjugio discedere, nisi tantum propter uxoris adulterium: deinde nefas esse conjugibus ob istam caussam divulsis novas contrahere nuptias, vivo eorum altero. Neque est audiendus Launojus, qui ait hanc *postremam partem debere intelligi cum exceptione memorata, nempe nisi ob fornicationem; alias*, addit, *posterior pars cum prima non bene conveniret.* Nam ipse veluti certum atque exploratum statuit memoratam exceptionem ex Christi sententia tum ad uxoris expulsionem, tum etiam ad alteras post divortium nuptias referri oportere: quod quidem falsissimum esse constat ex iis, quae supra diximus, maximeque ex veterum Patrum interpretatione, qui hanc eamdem exceptionem de sola conjugis dimissione intellexerunt.

Post Clementem recensendus est Origenes ejus discipulus, qui tradens quosdam Orientis Episcopos mulieribus repudiatis concessisse ut aliis viris nuberent, haud aliter excusari eos posse

(1) *Lib.* II. *Strom.* circa finem.

arbitratur, quam si dicantur ad vitanda mala pejora illud permisisse (1): *Contra Scripturae legem, inquit, mulieri vivente viro nubere quidam Ecclesiae Rectores permiserunt agentes contra id, quod scriptum est:* » Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit »; *et contra illud:* » Igitur vivente viro, mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro ». *Non omnino tamen sine ratione: haec enim contra legem initio latam et scriptam ad vitanda pejora alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse verisimile est.* Et infra, cum multa de hac re disputasset, tandem huiusmodi clausula utitur: *Quemadmodum autem adultera est uxor, etiamsi viro alteri nupta videatur, primo etiamnum vivo; ita et vir repudiatam ducere visus non tam ipsius maritus, quam adulter est dicendus secundum Servatoris nostri sententiam.* Ubi adnotare juvat Episcopos istos, quos reprehendit Adamantius, ita alteras nuptias permisisse, seu tolerasse, si mulieres adulterii caussa repudiatae essent, ut in pluribus Occidentis regionibus olim factum

(1) *Comment. in Matth.* tom. 14, n. 23, edit. Maur.

antehac demonstravimus; secus enim ne divortium quidem fieri passi essent, nedum alteras contrahi nuptias. Et sane non modo Latini, ut supra vidimus, sed etiam Graeci Antistites fere omnes priscis illis aetatibus non sinebant viros nisi tantum ob adulterium uxores dimittere. Quare ipse Origenes paullo post citatum locum quaerens, utrum fas sit ob alias gravissimas caussas, puta ob veneficium, aut filii necem, aut domus expilationem uxorem repudiare, se valde dubium et ancipitem haerere propter Evangelicum textum ostendit (1). Ceterum de Origenis mente haud valde laborandum nobis videtur: siquidem ejus verba ita clara et expressa Cavallario ipsi, licet Launojanae opinionis vindici, sunt visa, ut eumdem Scriptorem inter illos Patres numerare non dubitaverit, qui post ejectam adulteram uxorem novas nuptias vetarent.

Porro eodem saeculo tertio, quo claruit Origenes, permultis Criticis in lucem prodiisse placet Canones vulgo dictos Apostolicos; e quibus unus anathematis poena eos plectit, qui repu-

(1) *Citato loco* n. 24.

diatis uxoribus alias ducunt. En canonis verba: *Si quis laicus suam uxorem ejiciens alteram acceperit, vel ab alio dimissam, excommunicetur* (1). Quamvis vero probe sciam nostros adversarios, quo hujus canonis, aliorumque similium testimoniorum vim declinent, dictitare solere, haec omnia cum illa exceptione esse intelligenda, nisi divortium adulterii caussa fiat; quid tamen ipsis effugium istud prodesse queat, non plane video. Nam praeterquamquod id sine ulla ratione asseritur, si ita se res habet, ut isti volunt, nemo certe inficiari poterit, hujusmodi decretorum, seu testimoniorum auctores non usitatum ac perspicuum, sed obscurum atque intellectu difficilem loquendi modum usurpasse. Sed cur, rogo, ita dubia et ambigua dicendi ratione uti dedita opera maluerunt, ut non modo rudes et imperiti, sed doctiores et cultiores quoque in errorem facile inducerentur? Quanti tandem erat pauca addere verba, quo quisque sine ullo fraudis metu in re gravissima maximique momenti se gerere posset? At si statuamus priscos canones, et Patres eo pacto locu-

(1) *Can.* 48.

tos esse, quia nullam caussam, ne adulterium quidem excipiebant, et repudiato conjuge licet adultero, novi conjugii spem alteri adimere volebant, omnis plane ambiguitas, omnisque fraudis ac deceptionis occasio tollatur oportet. Ad haec nullo negotio intelligemus, cur iidem laudatam exceptionem in suis scriptis modo addiderint, modo tacuerint; cum enim de alteris nuptiis post divortium agebatur, tunc profecto nullam caussam, ne adulterium quidem licebat excipere: sin vero de vetanda conjugis dimissione tantum sermo esset, necessarium omnino videbatur, ne errori locus daretur, eadem uti exceptione, quam adversus Judaeos adhibendam censuerat Dominus noster.

Iam vero quarto Ecclesiae saeculo Gregorius Nazianzenus conjugii incommoda ligata oratione describens, illud malum appellat, unde quis nulla unquam ratione liberari queat (1):

Perspice quanta premunt servos incommoda carnis.
Femina non parva mercatur dote maritum,
Quodque etiam gravius, vitiosum saepe et inertem.

---

(1) *Carm. 2. de laudibus Virgin.*

Rursus emenda viro conjux, nec moribus illa
Praedita saepe bonis: quaesita attractaque pestis,
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare.

Porro haud sic Gregorius scripsisset, si repudiata uxore, quam saepe perditis moribus esse dixit, ipsum conjugii vinculum solvi existimasset. Praeterea Basilius Magnus Gregorii aequalis, et familiaris diserte pronunciavit mulierem adulteram esse, quae, vivente viro, alteri nuberet, etiamsi ob culpam fuerit dimissa (quae culpa plerumque adulterium erat): *Non audis*, ait, *quod etiam qui dimissam ducit, moechatur? Etsi enim pro culpa dimissa est, attamen vivit vir ipsius* (1). Sed longe disertius alio loco cum dixisset: *Nullo modo debere virum, qui legitimo matrimonio cum uxore conjunctus sit, ab ea separari; neque vicissim uxorem a viro, nisi illorum alter in adulterio deprehensus sit, nisique caussa aliqua intersit, quae verae adversus Deum pietati officiat*, statim subdidit: *non licere viro, uxo-*

(1) *Lib. de Virginit.* circa medium.

re dimissa, aliam ducere; neque item uxori vicissim, quae dimissa est, viro alii nubere (1). Quod quidem perinde est, ac si diceret non posse nisi ob adulterium separari conjuges, eosque ob hanc caussam separatos novas non posse inire nuptias.

At idem Caesareensis Exarchus *Epistola Canonica ad Amphilochium* ea scribit, quae Launoji, ejusque sectatorum sententiae non parum favere videntur, quibusque mirum quantum isti triumphant. *Consuetudo*, inquit, *etiam adulterantes viros, et in fornicationibus versantes jubet a mulieribus retineri. Quare quae cum viro dimisso habitat, nescio an possit adultera appellari; crimen enim hic attingit mulierem quae dimisit, quam ob caussam a conjugio discessit. Si enim pulsata, et verbera non ferens, pati satius, quam a conjuge separari: sive jacturam in pecunia non ferat, nec ipsa est digna excusatio. Sin autem quod ipse vivat in fornicatione, non habemus hanc observationem in Ecclesiastica constitutione; sed etiam infidelis viri jussa*

(1) *Moral. reg.* 73.

est mulier non separari, sed manere propter incertum eventum. Quid enim scis, mulier, an virum sis servaturus? Quare quae relinquit est adultera, si ad alium virum accessit. Qui autem relictus, est dignus venia, et quae cum eo habitat, non ideo condemnatur. Sed si vir qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est et ipse adulter, quoniam facit eam adulterari; et quae cum eo habitat, est adultera eo quod alienum virum ad se traduxit (1). Quibus verbis indicare videtur I. eam consuetudinem in Asiae minoris provincias, aut certe in Dioecesim Ponticam inductam esse, ut viro uxorem adulteram dimittere liceret, uxor vero non posset a viro discedere, quamvis hic in adulterio esset deprehensus; II. mulierem, quae virum licet adulterum deserit, adulterii ream haberi, si alteri matrimonio conjungatur; virum vero sic desertum venia dignum esse, si aliam ducat, et mulierem cum ipso viventem non ideo condemnari, sive adulteram judicari. Quamobrem licet nonnulli Theologi cum Arcudio, quae heic scripsit Basilius, bonam in

(1) *Epist. canon. ad Amphiloch. can.* 9.

partem accipere omni ope adnitentes ipsum tandem suae regionis consuetudinem improbare existiment (1); plerique tamen omnes vel illum in hac epistola a sententia prorsus discessisse asserunt, quam ante Episcopatum defenderat (2), vel saltem cum Tournelyo opinantur ejus mentem incertam, atque ancipitem esse ob eamdem, quae invaluerat, consuetudinem (3).

Verum tanti Doctoris, cujus in toto Oriente nullo non tempore maximi habita est anctoritas, perperam adhuc a doctis viris (absit verbo invidia) intellecta videtur mens, atque sententia. Non enim ibi morum regulas tradens, aut Evangelii textum interpretans quaerit Basilius, utrum viro dimisso ab uxore adulterii caussa fas sit alteras inire nuptias, et an ob ipsum adulterii crimen conjugii vinculum dirimatur; sed poenitentiae leges praescribens illud tantum expendit, num canonicis poenis, quibus multabatur tamquam adultera mulier virum dimittens, al-

(1) *Arcud. de Concord. Eccles. Occid. et Orient.* etc. *lib.* VII. *cap.* 22.

(2) Vide Maurinos Editores Operum S. Basilii in *adnotat. ad hunc locum.*

(3) *Citato loco.*

terique nubens, vir quoque dimissus subjici debeat, si alteram ducat: aitque consuetudinem, quod ad hanc rem spectat, haud idem de viro, ac de muliere statuere. Nec porro isthaec consuetudo, de qua loquitur Basilius, virum ab adulterii crimine, ut vulgo creditur, absolvebat, sed dumtaxat canonica poena in adulteros decreta eximebat. Quod sane cum pluribus suadeatur rationibus ex ipso Basilio petitis, minime tot magnos viros id advertisse miror. Nam primo si ille fatetur adulterium perpetrare mulierem, quae dimisso viro alteri nubit, fateri quoque cogitur prioris conjugii vinculum adhuc firmum perdurare; at si adhuc firmum perdurat prius conjugium, quomodo non dicendus adulter vir, si ab uxore relictus cum altera nuptias contrahat, nec altera est habenda adultera, quae cum relicto viro conjugio copuletur? Aut quomodo unum idemque conjugium in uxore stabile ac firmum perseverat, in viro autem dissolvitur ac discinditur? praesertim cum in eo ipso canone paullo ante disertis verbis ita scripserit: *Domini autem sententia aeque viris ac mulieribus convenit, quod non liceat a matrimonio discedere, praeterquam propter fornicationem.* Deinde, ut

ex objecto testimonio liquet, in eo agitur de viris tum adulterii caussa repudiatis, tum dimissis ob alias caussas, propter quas tamen viros a mulieribus repudiari non sinebat consuetudo: at quo, quaeso, pacto magnus Caesareensis Antistes, etiamsi demus ob adulterii crimen dissolvi nuptias eum existimasse, ob alias quoque caussas idem fieri posse diceret? Praeterea Basilius alibi satis aperit, quo sensu citato loco asseruerit virum, qui ab uxore relictus aliud contrahat matrimonium, *venia dignum esse.* Etenim in alio epistolae canonicae capite eamdem quaestionem tractans expresse pronunciat hanc veniam in eo sitam esse, ut a Fidelium communione non segregetur (1). *In marito*, inquit, *ab uxore derelicto considerenda derelictionis caussa: ac si eam praeter rationem secessisse constiterit, ille quidem dignus venia, haec vero multa. Venia autem ei, ut Ecclesiae communicet, dabitur.* Heic sane *venia* opponitur *multae* seu poenae canonicae, quam subire cogebatur mulier dimittens, non vir dimissus. Neque aliter explicari queunt

(1) *Can.* 35.

haec Basilii verba, nisi illum velimus id sentire, licere viro repudiato *praeter rationem* (Graece ἀλογως), seu sine legitima caussa aliam ducere uxorem: quod de homine quoque vix primis Fidei rudimentis imbuto nefas est suspicari, nedum de celeberrimo totius Orientis Doctore. Atque inde intelligimus, cur idem scribat nec virum sic dimissum esse adulterum, nec adulteram posse appellari feminam, quae ei nuptui datur. Quamvis enim hi vere adulterii crimine tenerentur, utpote qui, priore perseverante conjugio, secundas inire nuptias ausi essent, minime tamen poena in adulteros constituta afficiebantur. Imo, teste eodem Antistite Caesareensi, vir cum uxore habitans si turpissimis voluptatibus se dederet, non ut adulter, sed ut scortator ex relata consuetudine puniebatur. Sic enim ipsius canon se habet (1): *Si vir una cum uxore habitans postea matrimonio non contentus in fornicationem inciderit, fornicatorem eum judicamus, ipsumque longius producimus in impositis poenis; sed tamen canonem non habemus, qui eum adulterii cri-*

(1) *Can.* 17.

mini subjiciat, si in solutam a matrimonio peccatum commissum sit. Denique huc accedit, quod non est credibile universe et sine ullo discrimine repudiato viro novum matrimonium voluisse Basilium indulgere, qui tertias nuptias vel irritas et nullas censebat, vel certe vetabat; quemadmodum ex hoc canone eruitur (1): *Trigamiae lex non est: quare lege* (nempe Ecclesiastica Orientis) *tertium matrimonium non adprobatur. Verumtamen ea ut Ecclesiae inquinamenta videmus, sed publicis condemnationibus non subjicimus, ut quae soluta ac profusa fornicatione sunt magis expetenda.* Neque enim dubitari potest, quin inter repudiatos viros aliquis bigamus numeraretur. Itaque haud probavit Basilius et pro legitimis habuit novas viri post repudium nuptias, superstite priore uxore, sed tolerandas dumtaxat, sive Ecclesiasticis poenis non cohibendas ex consuetudine censuit. Atque haec, quae hactenus exposui, perquam accommodata videntur ad amoliendam ab insigni Ecclesiae Doctore erroris calumniam, quam illi imprudentes intulerunt tot

(1) *Can.* 50.

eruditi Theologi, atque epistolarum ejus canonicarum interpretes.

Eadem quarta aetate, et quinta ineunte floruit splendidissimum illud lumen et ornamentum Ecclesiae Ioannes Constantinopolitanus, cognomento Chrysostomus. Is pluribus suorum operum locis ea docet, quibus mirum in modum nostrum confirmatur argumentum. Praecipue vero Matthaei locum illum explanans, *qui dimiserit uxorem suam, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit moechatur*, inquit: *Ille quidem, etiamsi alteram non duxerit, eo ipso se constituit criminis reum, quod illam adulteram fecerit; hic vero accipiendo alienam adulter effectus est. Nequaquam enim mihi proferas, quia eam ille ejecit; nam expulsa quoque uxor ejus, qui illam expulit, perseverat* (1). Et alibi illud Apostoli explicans, *his qui matrimonio juncti sunt* etc. expressius ait: *Quid si vir ab uxore continenter aversus perpetuo abhorreat? perferas*, inquit, *omnem istam servitutem; tantum enim tui juris futura es, cum is a vita migrarit..... Quod si ista injuriosa non*

---

(1) *Homil.* 17. *in Matth.*

tulerit, continentiam colat oportet. . . maneat innupta, aut viro reconcilietur. Sed quid inquit, si nunquam cum viro in gratiam redire voluerit? habes illud alterum, quo te inde expedire possis. Quidnam id est? expecta dum is tibi decedat (1). En aperte heic Chrysostomus docet mulieri a viro discedenti non licere alteri nubere, nisi post viri mortem, ejusque conjugium tamdiu persistere, quamdiu vir vivit. Sed apertius alio loco demonstrat ex Evangelica lege matrimonium nunquam ne adulterii quidem caussa dissolvi, ita scribens: *Equidem servis licet dominos mutare viventes, mulieri vero non licet maritos mutare, vivente viro; quoniam hoc adulterium est. Utique ne mihi recites leges externas et profanas praecipientes libellum repudii dare et divortium facere: neque enim secundum has leges in illa die judicaturus est Deus, sed juxta eas, quas ipse statuit.* Et infra de eo verba faciens, qui alterius uxorem ducit: *Quibusnam oculis*, ait, *adspiciet illius uxorem, suam modo exsistentem? imo vero neque il-*

(1) *Lib. de Virgin.* circa medium.

lius, neque hujus merito quispiam hanc esse dixerit. Adultera enim nullius est uxor, siquidem pacta cum illo inita violavit et conculcavit; ad te vero non legitime accessit(1).

Neque objicias Chrysostomum non de viro, sed de muliere loqui, quam vult usque ad viri obitum continentiam colere, si a viro discedat; nam is nullum agnoscit inter virum ac mulierem discrimen, cum de conjugii usu sermo habetur, quemadmodum ex his apparet verbis, quibus utitur ad illud Apostoli, *uxori vir debitum reddat*, nimirum: *Paullus ita dividit, ac scribit:* » Viri diligite uxores vestras, uxor autem virum timeat ». *Heic autem neque majus, neque minus habet locum, sed una potestas est; qua de caussa? nimirum quia de pudicitia sermonem habebat. In illis quidem plus habeat, inquit, vir: ubi vero ratio habenda est pudicitiae, minime superior sit. Vir sui corporis potestatem non habet, neque uxor; magna heic paritas, et praeroga-*

(1) *Homil. de libello repudii. Tom.* III. *Operum* edit. Maurin.

tiva nulla (1). Nec porro ullam molestiam nobis creare debent illa ejusdem Scriptoris, *per fornicationem nuptias esse dissolutas, maritum post fornicationem non esse maritum*, et alia hujusmodi (2): siquidem *dissolvere nuptias* nihil aliud saepe denotat, quam vitae societatem abrumpere, quae virum inter et uxorem intercedit, cum eodem tecto, lecto, ac mensa utuntur, quin necessario inde sequatur, ut sic sejuncti nova conjugia ineant. Hoc pacto Innocentius Pontifex ajebat *dissociatum videri conjugium interveniente repudio* (3). Imo et Concilium Forojuliense per nos supra laudatum cum affirmet *non licere viro, quamdiu adultera vivit, aliam ducere uxorem*, ait tamen *resolutum esse fornicationis caussa conjugale vinculum* (4). Atque ut e Graecis aliquem proferamus, Origenes, quem paullo ante vidimus improbasse secundas post repudium nuptias, tradit Servatorem nostrum haud *propter ullum aliud flagitium solvendi connubii fa-*

---

(1) *Homil.* 19. in I *epist. ad Cor.*

(2) *Eadem Homil.*

(3) *Citata ep. ist. ad Exuperium Tolosanum.*

(4) *Can.* 10.

cultatem concessisse, *quam solam fornicationem* (1): quibus profecto verbis potestas tantum dimittendi uxorem, non vero dissoluto conjugii nexu alias quaerendi nuptias significatur. Sed non opus est ut Chrysostomi caussam alienis testimoniis defendamus: ipsemet enim quid per illas voces sibi velit, luculenter eo loco testatur, quem modo laudavimus (2). Nam ibi eodem pacto dicit adulteram *non esse uxorem* proprii conjugis, etiamsi ab alio duci nequeat; quo heic asserit *maritum post fornicationem non esse maritum*, licet alias inire nuptias vetetur.

Ab aetate Chrysostomi non longe abest Theodoretus Cyri in Syria Episcopus, qui in Paullo interpretando sicut in aliis, ita in re nostra disertissimi illius Doctoris sententiam sequitur. Et sane ea Apostoli verba explanans, *igitur vivente viro vocabitur adultera*, *si fuerit cum alio viro*, isthaec ait: *Adulteram vocat lex non eam*, *quae post mortem conjugis alii conjungitur*, *sed eam quae*, *conjuge superstite*, *cum*

(1) *Citato loco.*

(2) *Homil. de libello repudii.*

alio copulatur: hanc enim, ut quae legem matrimonii injuria afficiat, puniri jubet. Clarum est ergo, quod postquam vir vitam finierit, ex lege, et non contra legem facit vidua, quae alii nupserit. Et sciebat quidem divinus Apostolus, quod viventibus quoque separandi matrimonii facultatem dederit, quando id gratum non erat. Sed Dominicam doctrinam exaudiit, quae dicit Mosem hanc legem dedisse ad cordis Judaeorum duritiam: legem vero naturae non ita habuisse (1). Tum ad illud ejusdem Apostoli, *iis qui matrimonio juncti sunt* etc. haec adnotat: *Evangelicam legem revocat in memoriam. Dominus enim in sacris Evangeliis dixit:* » quicumque dimittit uxorem suam praeterquam caussa fornicationis, facit eam moechari ». *Propterea adjecit* non ego, sed Dominus. *Hoc autem*, maneat innupta, vel viro reconcilietur, *non est contrarium illi*, nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu. *Illa autem dicta sunt illis, qui non propter aliam caussam, sed propter solam continentiam separantur: hic*

(1) In *cap. 7. epist. ad Rom.*

autem iis legem statuit, qui de aliis rebus contendunt. Et conatur quidem infractum servare matrimonii vinculum: indulgens autem imbecillitati, ei qui separatur, continentiam praecipit; hac etiam ratione prohibens matrimonii disjunctionem. Cum enim alteri conjungi prohibet, utramque partem ad prius matrimonium redire compellit (1). Vides hoc loco, quam expresse docet Theodoretus conjugibus, qui separantur, continentiae legem imponi, et alteras nuptias interdici; neque ullam caussam excipit, ob quam post disjunctionem nova contrahere matrimonia liceat.

At enim alio loco Cyrensis Episcopus matrimonium ob adulterium dissolvi ac dirimi ita aperte docet: *At naturae opifex, quia humanam creans naturam, unum principio virum, et feminam unam formavit, etiam matrimonium solvi vetat; unicuique hujus dirimendi caussam assignavit eam, quae maritalem copulam vere divellit*: » omnis enim qui dimittit uxorem suam excepta caussa fornicationis, facit eam moechari (2) ». Sic sane arguit Launojus.

(1) In *cap.* 7. *epist.* I. *ad Cor.*
(2) *Sermone* 9. *de legibus*

Verum quid impedimento est, quominus bonam in partem accipiamus, quod ait heic Theodoretus, adulterium *matrimonium dirimere*, et *maritalem copulam divellere?* Possunt enim istae locutiones eodem sensu explicari, quo dixit Chrysostomus, uti modo observavimus, *per fornicationem dissolutas esse nuptias*, *maritum non esse maritum;* et quo Augustinus ipse, quem nemo profecto Launojo favere existimarit, uxorem dixit, quae *fidem marito non servavit*, *ipsam priorem uxorem esse noluisse* (1). Sed ex eodem Theodoreto discimus, eum de sola uxoris dimissione, non de conjugii vinculo esse locutum. Etenim in loco paullo ante allato cum ait Apostolum conari *infractum servare matrimonii vinculum*, attamen *indulgere imbecillitati*, ut conjuges separentur; et praecipiendo continentiam *prohibere matrimonii disjunctionem*, quia sic *utramque partem ad prius matrimonium redire compellit:* indicat plane, ni fallor, conjugium dissolvi et non servari infractum, cum conjuges tantum separantur, praesertim cum addat eos sic separatos ad prius matrimonium redire compelli; neque

(1) *Tractatu* 9. *in Joan.*

enim ad prius matrimonium redire necesse est, si illud adhuc infractum servetur. Quae cum ita sint, Honorato Tournelyo assentiri nequeo, qui Theodoretum nobis expresse adversari, ideoque deserendum esse nimis facile pronunciat (1).

Iam septimo exeunte saeculo Constantinopoli congregatum fuit frequentissimum e quatuor Orientis Patriarchatibus Concilium, cui Trullani, et deinceps Quinisexti nomen est inditum. In eo Concilio plures conditi sunt canones ad disciplinam spectantes; e quibus unus haec ad rem nostram statuit (2): *Quae maritum relinquit, est adultera, si venerit ad alium, ut vult sacer et divinus Basilius .... Sed is qui legitime sibi datam uxorem relinquit, et aliam ducit, e Domini sententia est adulterii judicio obnoxius.* Nulla culpa, nullum flagitium ibi excipitur: quod procul dubio facere non omisissent ejus Synodi Episcopi, si propter adulterium dissolutas nuptias putassent. Nona vero Ecclesiae aetate, vel potius decima Commentarios suos in plures Scripturae libros scripsit Oecumenius, eosque e Chrysostomi operibus fere

(1) *Citato loco.*
(2) *Can.* 87. *Tom.* VIII. *Concil.*

excerpsit. Hic quoque illustrans ea Apostoli verba, *quod si discesserit, maneat innupta* etc. tradit mulierem, si a viro discedat, nequaquam alii nubere posse, quippe quae stabili nexu maneat viro suo conjuncta. *Melius* est, inquit, *ut non separetur; quod si etiam separata fuerit, maneat habens virum etsi non commistione, tamen affectu sic, ut non adducat, aut conjungat sibi virum alium* (1). Idemque omnino ferendum judicium de Graecis posterioribus, qui in suis Bibliorum Commentariis veteres suae gentis Doctores, atque in primis Chrysostomum pleramque exscribere consueverunt: quare eorum loca recitare plane supervacaneum videtur.

Non defuere tamen e priscis Graecis Doctoribus, qui contrariam tuentes sententiam adulterii caussa matrimonium ita dirimi arbitrati sunt, ut conjugibus alias nuptias ineundi simul potestas fieret: at ii perpauci, imo duo tantum numerari possunt, quorum proinde auctoritatem hac in re nihil moramur. Horum unus est Epiphanius Salaminis in Cypro Episcopus, qui in suo ad-

(1) In *cap. 7. epist. I. ad Corinth.*

versus haereses Panario ista scribit: *Tolerari illud potest, ut qui uxore prima contenti esse non possint, ea mortua secundam sibi copulent...... Sed cui mortua una non sufficit, cum occasione aliqua stupri adulteriique, aut alterius flagitii cum ea divortium fecerit, is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, Sacrarum Literarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit, neque ab Ecclesia aut aeterna vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat* (1). Quae sane verba adeo manifesta et expressa sunt, ut nisi cum Petavio (2) depravatum Epiphanii textum suspicari velimus, eum hoc loco non parum errasse omnino sit dicendum; praesertim cum non ob adulterium modo, verum ob aliud quoque flagitium conjugii dissolutionem concedat: quod neminem e vetustis Bibliorum interpretibus concessisse unquam novimus. Alter est Asterius Amasenus Antistes, qui in quadam Homilia: *Audite*, ait, *jam vos mulierum institores, qui ceu vestes subinde illas mutatis*

(1) *Haeres.* 59. n. 4.
(2) In *notis ad haer.* 59.

. . . . *qui vel leviter offensi libellum repudii conscribitis, multasque velut viduas in vita relinquitis: existimate et omnino vobis persuadete matrimonium morte tantum, et adulterio dirimi* (1). Quamvis enim postrema verba de conjugum sejunctione dumtaxat explicari possint, magis tamen probabile videtur heic de vinculi connubialis diremtione esse intelligenda. Verum quidquid de Asterii mente sit, nemo non videt unius aut alterius auctoritatem tot celeberrimorum Ecclesiae Graecae Scriptorum, quos antehac memoravimus, luculentissimis testimoniis esse omnino posthabendam.

At inquies, si e veteribus Scriptoribus Graecorum Ecclesiasticis fere omnes in interpretanda Evangelica de divortiis lege amice cum Latinis conjurarunt, qui tandem factum est, ut posterioris aevi Graeci in alia omnia discedentes, posse adulterii caussa conjugii vinculum dissolvi senserint? Cui quaestioni ut fiat satis, respondemus e corruptis moribus, et legibus civilibus eam corruptelam foventibus istam Graecorum

(1) *Homil. in illud Matth.:* « an liceat quacumque ex caussa uxorem dimittere? ».

disciplinam ortum habuisse. Neque id mirum videri debet, si consideremus etiam apud Latinos prioribus aetatibus, cum peccata vel gravissima anathemate tantum, aut poenitentiis canonicis puniebantur, complures Fideles post divortium ob adulterium, aliasve caussas factum, neglectis Episcoporum monitis, aut decretis, novas celebrare nuptias ausos fuisse. Quare tanto malo occurrere sategisse plura Concilia variis temporibus in Occidentis regionibus, ac Romae quoque habita, ex Ecclesiae historia accepimus; quorum quidem non pauca superioribus capitibus nos protulimus. Sed quod maxime optabant, assequi non potuerunt Latini Praesules, nisi post undecimum saeculum, cum scilicet Forum proprie dictum paullatim sunt adepti, mutataque Ecclesiasticorum judiciorum forma, jurisdictionem cum coërcitione, publicorum Magistratuum in modum, exercere coeperunt. Rursus vero Graecorum Episcopi, cum Forum stricte appellatum nunquam habuerint, quotidie magis gliscentem morum corruptelam solis hortationibus, vel etiam praeceptis et statutis excidere nequaquam valuerunt. Huc accedit, quod post enatum schisma, praecipueque post undecimam aetatem e Graecorum Antistitibus plerique disciplinae Latinorum

vellicandae studio abrepti, sensim eo devenerunt, ut licere viro adulteram uxorem dimittere, et aliam ducere opinarentur. Quod profecto nemini mirum videbitur, quicumque advertet Graecos schismatis tenaces in aliis rebus a majorum suorum doctrina discessisse, turpesque amplexos esse errores. Etenim compertum exploratumque est veteres Orientalis Ecclesiae Patres et Spiritum Sanctum ex Patre, et Filio exsistere, Romanumque Pontificem toti Ecclesiae ab ipso Christo praepositum esse docuisse: at haec catholica dogmata rejicientes Schismatici, luculenta illorum testimonia pravis suis explicationibus infirmare, licet frustra, sunt conati. Neque absimili pacto quae prisci Doctores de aeterna beatitate statim post obitum obtinenda in suis scriptis tradiderunt, plures Graeci recentiores perperam interpretati sunt, vel non magni duxerunt, quo suum errorem de justorum felicitate ad extremi judicii diem protrahenda tuerentur. Quod si ita se res habet, neminem futurum puto, qui ad Tridentinae definitionis vim elevandam nuperam Graecorum disciplinam obtendere audeat.

CAPUT VIII.

Launoji de Ecclesiae in matrimonium potestate opinio. Espenii de eadem re sententia affertur. Quid de tota hac quaestione sentire oporteat.

Hactenus nobis videmur adversus Launojum abunde ostendisse, potestatem adulteram uxorem dimittendi, quam Fidelibus in Evangelio Christus fecit, ita ex Latinae, Graecaeque Ecclesiae consensione esse intelligendam, ut simul novas ineundi nuptias facultas denegetur: quapropter illud nunc reliquum est, ut de altero agamus, quod initio proposuimus, de jure scilicet Ecclesiae in impedimentis matrimonii constituendis, quo eam spoliare omni ope adnisus est idem Parisiensis Theologus. Et sane ipse citato opere id sibi maxime proponit, ut probet Ecclesiae potestatem in matrimonium Religionem ac Sacramenti sanctitatem unice spectare, quo Fideles ad illud rite et Christiano more suscipiendum idoneos reddat, non vero ad naturam et vim contractus pertingere; propterea que non

posse eam dirimentia impedimenta statuere, quod proprio et nativo jure ad solos Principes pertinere contendit. Quapropter vult Tridentinam Synodum, cum irrita declaravit clandestina conjugia, id non potuisse facere, nisi Principum auctoritate, quorum Oratores Concilio aderant (1). Tum sibi adversantes Tridentinos duos canones objicit; quorum prior est hujusmodi: *Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant, aut dirimant, anathema sit.* Alter vero his conceptus est verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit* (2). Quos quidem novo atque inaudito commento explicans, asserit ibi Ecclesiae nomen non pro Ecclesiae Pastoribus, sive, ut ipse loqui amat, pro Ordine Sacerdotali, sed

(1) *Part.* I. *Art.* 1. *Cap.* 15.
(2) *Sess.* 24. *can.* 3. et 4.

pro Regibus et Principibus accipiendum esse, quorum nomine atque auctoritate isthaec impedimenta sanciuntur. Praesertim vero ad istud suadendum ea ratione utitur, quod Ecclesia semper *Coetus Fidelium* definita fuerit, Reges autem eorumdem Fidelium pars potior habeantur; alioquin, ait, injuria Synodo fieret, quae non secundum acceptam *Ecclesiae* notionem locuta fingeretur. Addit praeterea per illos canones non dogma aliquod fuisse definitum, sed disciplinam tantummodo statutam; quae quidem iis in locis minime valet, in quibus Concilii decreta ad disciplinam spectantia non sunt recepta (1). Haec fere docet Launojius; a quo non valde dissentit Espenius in *Supplemento Jur. Can.* edito post ejus obitum an. 1729, ubi quodammodo sententiam emendavit, quam antea in suo *Jure Ecclesiastico universo* secutus fuerat. Nam in priori opere Joannis Gerbasii sententiam acriter tutatus erat; qui quidem ambas oppositas opiniones in concordiam studuit adducere (2), alteram Launoji, a quo tota in ma-

(1) *Part.* I. *Art.* 4. *cap.* 4.

(2) *Tract. de potestate Ecclesiae, ac Principum in impedim. Matrimon.*

trimonii impedimenta potestas Principibus asseritur, nulla Ecclesiae relinquitur: aliorum alteram, qui totum hoc jus Ecclesiae sic adjudicant, ut Principibus penitus denegent. Quamobrem is media incedens via cum citato Sorbonico Doctore statuit posse Principes jure suo impedimenta dirimentia praescribere, idque per priora saecula fecisse; neque hoc Principum jus Ecclesiae auctoritati esse contrarium, quae semper a primis aetatibus eamdem potestatem exercuit, ipsamque a Christo Domino accepit: quamvis Principum pietate ac voluntate posteriori aevo hujus juris usus penes unam Ecclesiam steterit (1). Verum idem Espenius postea velut palinodiam recinens existimare in *Supplemento* videtur, impedimenta, quae primis saeculis matrimonio apposuit Ecclesia, *prohibentia* fuisse, non *dirimentia*; eamque posterioribus tantum saeculis potestatem dirimentia impedimenta statuendi nactam esse. Fatetur porro nullum amplius de hac Ecclesiae potestate post Tridentinos canones dubium superesse: sed addit Concilium non definiisse, num ea potestas Ecclesiae

(1) *Part.* II. *Sect.* 1. *tit.* 13 *cap.* 1.

ab ipso Christo sit tributa, an a Regibus concessa; in quam tamen postremam opinionem se non parum inclinare ostendit (1). E quibus patet Espenium etiamsi non adprobet *Ecclesiae* notionem a Launojo confictam, quam profecto nullus sanae mentis homo unquam in Tridentinis decretis admittet, tamen eadem fere ratione, ac ille, ejus Concilii canones interpretari; ut scilicet queat impedimenta dirimentia Ecclesia edicere non jure proprio ac nativo, sed Principum indulgentia, sive eorum nomine atque auctoritate. Unde quoque inferre videtur Concilium non rem ad dogma, sed ad disciplinam tantum spectantem decernere voluisse (2).

(1) Haec Espenii additio habetur *Part.* II. *sect.* 1. *tit.* 13. *cap.* 2. edit. Neap.

(2) Launojanam sententiam Espenianа temperatam amplexus est praeter alios quosdam noster Cavallarius (*Institut. Jur. Can. Part.* II. *cap.* 28.). Nimirum is contendit Ecclesiae potestatem in matrimonium solum Sacramentum, non contractus naturam spectare; ideoque impedimenta, quae nullum redderent contractum, ab unis Principibus per priora saecula fuisse constituta, ab Ecclesia vero poenitentiam tantum iis imperatam, qui conjugia non secundum canones ini-

At facile est ostendere istam Launoji, et Espenii opinionem Tridentinorum Patrum menti aperte repugnare. Nam Synodo illud fuit propositum, ut haeresiarcham Lutherum damnaret, qui temerario ausu negavit jus esse Ecclesiae impedimenta statuendi, quae matrimonium dirimerent, affirmavitque conjugia juris Divini esse, eaque proinde etiam contra leges Ecclesiasticas (quas ille *leges hominum* appellabat) contracta valere (1). Deinde voluit Concilium Protestantium errorem oppugnare, qui asserebant non potuisse Ecclesiam plura inducere impedimenta, quam quae a Deo in Levitico fuere constituta; quemadmodum ex canone tertio modo allato colligitur. Quare ad hos haereticos erroris ar-

---

rent. Deinde observat posteriori aetate Sacramentum, cujus fundamentum erat contractus, praecipuum in Matrimonio judicatum esse; atque ex hac nova factum doctrina, ut Ecclesia impedimenta quoque dirimentia sanciret: quod quidem ait saeculo VI. coeptum sequentibus magis invaluisse, donec XII. tandem in toto Occidente est receptum. Postremo tradit Tridentinos PP. doctrinae tunc temporis ab omnibus receptae innixos laudatos canones 3 et 4 edidisse.

(1) *Praefat. lib. de Captiv. Babyl.*

guendos nil prorsus attinebat jactare Ecclesiae auctoritatem e Principum beneficio profectam; siquidem tota quae illis erat cum Catholicis controversia, non Regiam in matrimonium potestatem respiciebat, sed in eo vertebatur, num jure proprio, sive auctoritate a Christo accepta impedimenta matrimonii imperare, vel alia decernere praeter ea, quae Deus ipse in Lege veteri statuisset, Ecclesiae Pastores possent. Praeterea Tridentini Praesules cum hos et alios anathematismos *sess.24.* in Protestantes intorserunt, professi sunt se eorum dogmata *ab Ecclesiae catholicae sensu*, *et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena*; sive *insigniores* de matrimonio *haereses et errores* exterminare velle. Itaque Ecclesiae in matrimonium potestas ex Concilii doctrina *consuetudini ab Apostolorum temporibus probatae* innitebatur, ac proinde e Divino jure, seu Christi voluntate enascebatur; nisi credere velimus beatiori illo Apostolico aevo suae legitimae potestatis ignaram Ecclesiam temere sibi aliena jura adrogasse: quo nihil foedius, atque injuriosius Christi Sponsae excogitari potest. Quod si ita res se habet, inde etiam consequitur, ut per citatos canones non disciplinam statutam, sed dogma definitum fuis-

se dicamus; praesertim cum opposita haereticorum doctrina *ab Ecclesiae catholicae sensu aliena*, atque *error* appelletur.

Sed ut id ita esse, quemadmodum diximus, luculentius demonstremus, nil aliud agendum censemus, quam ut pluribus testimoniis doceamus Ecclesiam ab antiquissimis temporibus reapse canones condidisse, qui non modo matrimonia prohiberent, sed irrita quoque declararent, si contemtis suis legibus contraherentur. Atque ut omnis dubitatio penitus tollatur, de iis tantum impedimentis verba faciemus, quae prius Ecclesiasticis statutis, quam civilibus legibus praescripta esse constat; simulque ut omnis cavillandi ansa auferatur, ea dumtaxat monumenta adducemus, quae saeculo sexto anteriora nobis occurrunt: neque enim latet, dictitare adversarios saeculo sexto primum Pontifices, et Concilia illam in matrimonium potestatem sibi reservare coepisse, qua antea soli Principes usi fuerant. Praeterea quoniam iidem existimare videntur unos Latinos Antistites eam potestatem exercuisse, nos ut illos ab hac opinione deducamus, vetustiora etiam Graecae Ecclesiae monumenta ad catholicam, quam tuemur, doctrinam magis confirmandam, exhibere haud praetermittemus.

CAPUT IX.

Ineunte saeculo IV. nuptiae inter affines lege Ecclesiastica in Oriente declaratae nullae. Eaedem pluribus post annis civili lege interdictae. Refellitur argumentum e Concilio Milevitano II. petitum.

Saeculi IV. initio, vix pace Christianis reddita post devictum Maximinum, Concilium frequentissimum ex toto Oriente Neocaesareae Ponti urbe coactum fuit, quo collapsa morum disciplina restitueretur. In eo severissime fuerunt vetitae affinium nuptiae his verbis (1): *Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam si promiserit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvet, fructum poenitentiae consequatur. Quod si obierit mulier in talibus nuptiis manens, difficilis erit poenitentia.* Ubi vides mulieri, quae viri fratri nubat, non concedi poenitentiam in

(1) *Can.* 2. *Tom.* I. *Concil.*

vitae exitu, nisi prius pollicita sit se, cum primum convaluerit, nuptias illas dissoluturam. Ergo biscentum et amplius annis ante illud tempus, quo coepisse primum impedimenta dirimentia ab Ecclesia constitui censet Cavallarius (1) praeter alios, generale Orientis Concilium non solum prohibuit inter affines conjugium, sed etiam irritum declaravit; secus enim minime dirimi jussisset. Neque opponas cum Protestantibus Neocaesareenses Patres non novum jus condidisse, sed observandum inculcasse, quod olim Deus in Veteri Lege praeceperat (2): *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est.* Nam primo videtur Moses tantum cavisse, ne quis uxorem fratris sui adhuc viventis duceret, si nimirum per repudium esset dimissa, tum quia apud Judaeos uxorem fratris sine liberis mortui non vetabatur, imo jubebatur alter frater sibi matrimonio jungere (3); tum etiam quia apud eosdem uxore mortua, ejus sororem ducere li-

(1) *Loco cit.*
(2) *Levit. cap.* 18. v. 16.
(3) *Deuteron. cap.* 25. v. 5.

cebat (1): quam ipsam interpretationem veri similiorem putavit quoque Augustinus (2). At contra Synodus vetuit et mulierem post viri obitum ejus fratri nubere, et virum mortuae uxoris sororem ducere; quod sane longe est a Mosaico interdicto diversum. Deinde etiamsi concedamus Mosaicum interdictum non esse a Neocaesareensi diversum, quis ignorat lege illa Levitici, quae ad jus Naturae non pertinebat, haud potuisse Christianos obstringi? Profecto id inter omnes veteres, et recentiores constat Doctores: imprimisque e veteribus Basilius, cum ei objiceretur Mosis auctoritas, qui sororem mortuae uxoris ducere permittebat, statim respondit Christianos per legem libertatis servitutis jugo solutos fuisse; alioquin, ut ipse animadvertit, etiam legibus de Sabbato, Circumcisione, ciborumque abstinentia subjicerentur (3). Quapropter nullum nobis dubium esse videtur, quin Neocaesareensis Synodus jure suo affinitatis impedimentum prima sanxerit, dum adhuc

(1) *Levit.* c. 18. v. 18.
(2) *Quaest.* 61. *in Levit.*
(3) *Epist.* 160. *ad Diodorum* edit. Maur.

Orienti imperabat Ethnicus Princeps Licinius, sive, ut modo dixi, saeculo IV. initio.

Porro multis post hanc Synodum annis, idest medio circiter saeculo IV. primus Constantius Imperator, rogatu fortasse Episcoporum, legem nuptias inter affines vetantem edidit his verbis: *Etsi licitum veteres crediderunt, nuptiis fratris solutis, ducere fratris uxorem, licitum etiampost mortem mulieris, aut divortium contrahere cum ejusdem sorore conjugium, abstineant hujusmodi nuptiis universi, nec aestiment posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari: nam spurios esse convenit, qui nascentur* (1). Sed haec Constantii lex parum ad contrariam consuetudinem exstirpandam valuit, imo paullo post omnino exolevit: quare interdicere deinceps huiusmodi nuptias coacti sunt Theodosius M. et Arcadius eodem saeculo, insequenti vero Honorius cum Theodosio Iuniore, inde Zeno, et Anastasius (2). Hinc quoque intelligimus cur Basilius in citata modo epistola, quam post

(1) *Leg.* 2. *Cod. Theod. de inc. Nupt.*

(2) *Leg.* 3. et 4. *Cod. Theod. de incestis Nup. Leg.* 5. 8. et *ult. Cod. Justin. eodem tit.*

Constantii legem dedit, nullam huius mentionem faciat, sed isthanc regulam a *sanctis Viris* traditam fuisse scribat: *ut si quis impuritatis vitio aliquando victus in illicitam duarum sororum conjunctionem inciderit, neque id matrimonium existimetur, neque omnino in Ecclesiae coetum admittatur, priusquam a se invicem dirimantur.* Ubi procul dubio *sanctorum Virorum* nomine Neocaesareenses PP. significantur, qui affinium nuptias dirimendas jusserunt.

Ex his autem nullo negotio noscere datur, quantum a vero aberret Launojus, qui persuadere nititur affinitatis impedimentum in linea transversa primum a R. Principibus statutum, dein in Ecclesiae canones fuisse transfusum (1); cum potius dici debeat Christianos Principes illud ab Ecclesia acceptum suis legibus confirmasse. Inde etiam refelluntur Espenius, ejusque gregales, cum asserunt Ecclesiam prioribus aetatibus nulla in matrimonium potestate auctam *prohibentia* tantum, non vero *dirimentia* constituere impedimenta potuisse. Nam quod ad hoc probandum

(1) *Part. I. art. 3. cap. 3.*

post Launojum (1) Milevitani II. Concilii canonem Cavallarius (2) affert, in quo postquam cautum fuit, *ut neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur*, subduntur haec: *in qua caussa legem imperialem petendam promulgari* (3); respondemus eam quidem legem a Synodo postulatam non quod sibi idem decernendi facultas deesset, sed quia sine Principis auctoritate atque imperio, vix aut ne vix quidem Episcoporum decretum poterat exsecutioni mandari. Et sane plura veterum Pontificum, et Conciliorum statuta supra produximus, quibus edicitur ne per divortium separati conjuges nova conjugia sectentur; nec tamen ab is ullam Principum legem postulatam fuisse, vel exspectatam legimus. Praeterea adversarios rogamus, ecquid lege Imperatoria indigerent Milevitani PP. ad illud vetandum, quod jam in Evangelio omnium Principum, ac legum Conditorum Dominus tam severe prohibuerat? Nonne satis

(1) *Part.* I. *artic.* 1. *cap.* 14.

(2) *Loc. cit.*

(3) *Concil. Milevit. can.* 17. *Tom.* III. *Concil.*

erat enunciare secundum Evangelicam et Apostolicam doctrinam non licere viris ac mulieribus post repudium sine adulterii crimine altera quaerere conjugia? Quare haud mirari debebat Cavallarius, quod hunc canonem referens Gratianus postremam partem omittendam duxisset: noverat enim is nihil illam ad rei summam pertinere, et canonis doctrinam sine ea clausula sarctam tectamque plane servari.

CAPUT X.

Ecclesia a priori aetate irritas semper habuit nuptias post continentiae votum contractas. Hanc disciplinam Romani quoque Principes suis legibus confirmarunt. Adversariorum objecta refutantur.

Si vetustiorum aetatum Synodos, et Ecclesiasticos Scriptores qua Latinos, qua Graecos consulere velimus, inveniemus profecto hos omnes, uno excepto Augustino, de quo mox, nuptias a sacris virginibus initas non matrimonia, sed stupra, incesta, atque adulteria appellasse; proptereaque docuisse eas non ante ad poenitentiam admitti debere, quam a turpi et inhonesto con-

jugio se divellerent, quod sane apertissimo est indicio, hujusmodi nuptias non solum vetitas, sed etiam irritas a priscis Ecclesiae Patribus existimatas fuisse. Atque ex his primus recensendus nobis est Cyprianus Carthaginiensis Antistes, qui medio circiter tertio sacculo pro Christiana Fide illustrem martyrii palmam est consecutus. Is Epistola ad Pomponiam data, de virginibus quibusdam agens, quae postquam Christo continentiam perpetuam voverant, liberius cum viris eadem domo versabantur, isthaec habet: *Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat poenitentiam plenam, quia quae hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est; et ideo aestimato justo tempore postea, exomologesi facta, ad Ecclesiam redeat. Quod si obstinate perseverant, nec se ab invicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione nunquam a nobis admitti in Ecclesiam posse, ne exemplum ceteris ad ruinam delictis suis facere incipiant* (1). Tum alio inquit loco: *Sic dum ornari cultius, dum liberius evagari virgines volunt, esse vir-*

(1) *Epist.* 62. *ad Pomponium* edit. Maur.

gines desinunt, furtivo dedecore corruptae, viduae antequam nuptae, non mariti, sed Christi adulterae, quam fuerant praemiis ingentibus virgines destinatae, tam magna supplicia pro amissa virginitate sensurae (1). Itaque ex Cypriano si sacrae virgines amissa virginitate sunt Christi adulterae, eadem de caussa si nubant, injuriam immortali Sponso Christo faciunt, ac proinde earum conjugia, utpote adulterina, prorsus irrita sunt censenda. Porro initio IV. saeculi ex tota Hispania Illiberitanum Concilium fuit coactum; cujus hic legitur canon: *Virgines quae se Deo dicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasae, aut infirmi corporis lapsu vitiatae omni tempore vitae suae hujusmodi feminae egerint poenitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, eas in fine communionem accipere debere* (2). Sane in hoc ca-

(1) *Lib. de habitu Virginum.*
(2) *Can.* 13. *Tom.* I. *Concil.*

none quamvis nulla nuptiarum mentio sit facta, admodum tamen verisimile est comprehensas fuisse tum virgines, quae se occulto flagitio dedecorari sinerent, tum eas praecipue, quae, publice contractis nuptiis, fidem Christo datam fallere non dubitarent: quae quidem ita morti proximae communioni reddebantur, si toto vitae tempore peracta poenitentia ab inhonesto complexu se abstinerent. Sed quod obscurius in Illiberitano continetur Concilio, clarissime expressum habetur in alia Hispaniensi Synodo, quae Toleti eodem saeculo exeunte convocata fuit, anno scilicet 400. Sic enim hujus Synodi Patres decernunt: *Devotam* (idest *sacram virginem*) *peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit, et desinens egerit aptam poenitentiam decem annis.* Postea adjiciunt: *Quae autem maritum acceperit, non admittatur ad poenitentiam, nisi adhuc vivente ipso viro caste vivere coeperit, aut postquam ipse decesserit* (1). Quae verba adeo aperte ad rem nostram faciunt, ut nulla explicatione indigeant. Paullo vero ante Toletanam hanc Synodum, seu

(1) *Concil. Tolet.* I. *can.* 16, *Tom.* II. *Concil.*

an. 398. Carthagine generale ex omnibus Africae provinciis habitum est Concilium; ubi plurimi conditi sunt canones, quorum postremus adulteras vocat viduas post votum continentiae nubentes, easque à Fidelium communione arcet, nisi a conjugio separari velint: *Tales ergo personae*, inquiunt Africani Episcopi, *sine Christianorum communione maneant, quae etiam nec in convivio cum Christianis communicent. Nam si adulterae conjuges reatu sunt viris suis obnoxiae, quanto magis viduae, quae religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem, quam Deo promiserunt sponte, non coactae, libidinosa corruperint voluptate, atque ad secundas nuptias transitum fecerint? Quae etsi violentia irruente ab aliquo praereptae fuerint, ac postea delectatione carnis atque libidinis permanere in conjugio raptori vel violento viro consenserint, damnationi superius comprehensae tenebuntur obnoxiae* (1). Praeterea quod eadem disciplina, quam in Hispania de sacris virginibus, et Africa obtinuisse IV. aetate ostendimus, viguerit eo-

(1) *Concil. Carthagin.* IV. *can.*104. *Ibidem.*

dem tempore in Italia quoque et aliis Occidentis regionibus, tum ex iis liquet, quae mox disserentur, tum praecipue ex Decretali Siricii R. Pontificis ad Himerium Tarraconensem missa; unde discimus monachos, vel monachas, qui liberos e vetitis conjugiis procreaverant, a turpi vitae societate segregatos atque in ergastula detrusos, perpetuae poenitentiae subjectos fuisse (1): *Praeterea*, ait Siricius, *monachorum quosdam, atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo velut sub monasteriorum praetextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint; postea vero in abruptum conscientiae desperatione perducti de illicitis complexibus libere filios procreaverint, quod et publicae leges, et Ecclesiastica jura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus; quatenus retrusae in suis ergastulis tantum facinus continua la-*

(1) *Epist. 1. ad Himerium Tarraconensem* cap. 6. *Tom. II. Concil.*

mentatione deflentes purificatorio possint poenitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiae intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

Cave autem putes ea aetate, de qua loquimur, severum hujusmodi institutum Latinos tantummodo, non item Graecos esse amplexos. Nam Basilius in epistola sua Canonica, quam toto Oriente receptam fuisse omnes norunt, satis aperte ostendit, cum Latina Ecclesia in hac re Graecam optime convenisse; siquidem mulierum, quae Deo se devoverant, matrimonia stupra, et adulteria appellat, eorumque nefarias conjunctiones dissociandas omnino decernit. Et sane is de sacra virgine nubente ita statuit (1): *Virgo adulterae judicio subjicitur. Quemadmodum igitur eum, qui cum aliena est muliere, adulterum nominamus, non prius admittentes ad communionem, quam a peccato cessaverit; ita profecto et de eo, qui virginem habet, statuemus.* Et alio canone: *Canonicarum* (mulierum continentiam profes-

(1) *Can.* 18.

sarum) *stupra pro matrimonio non reputentur, sed earum conjunctio omnino divellatur* (1). Tum alibi de monachis, qui continentiae votum violaverant, idem praescribit (2). Haec Magnus Basilius; quibus similia docet celeberrimus alter Orientis Doctor Joannes Chrysostomus. Nam hic loco per nos superius citato ut probet mulierem, quae virum suum repudiavit, non posse ante illius mortem alteri nuptui dari, argumento a simili petito sic loquitur (3): *Ut enim virgini, cui perpetuo vivens atque immortalis Sponsus sit, nubere nunquam licet; ita mulieri nuptae tunc demum, cum vir obierit.* Itaque ex Chrysostomo ut mulier, vivente conjuge, si alteri nubat, adultera appellatur, nec secundae nuptiae legitimae haberi possunt; ita prorsus si sacra virgo, cujus Sponsus, idest Christus, aeternum vivit, contemto voto in manum viri conveniat, et ipsa adultera censenda est, ejusque conjugium ratum esse nequit. Multoque expressius

---

(1) *Can.* 6.
(2) *Can.* 19. et 60.
(3) *Lib. de Virginit.*

idem Chrysostomus alio sermone ostendit monachos, qui continentiam profitentes se Deo consecraverunt, non amplius posse veras et legitimas nuptias celebrare, et si uxorem ducant, adulterium, imo facinus adulterio longe gravius admittere, cum injuria non homini, sed Deo fiat (1). Sed praestat disertissimi Viri verba audire, quo melius ab omnibus ejus mens dignosci queat. *Legitima res*, inquit, *est conjugium; id ego confiteor.... Sed tibi jam non est integrum jura connubii servare. Eum enim qui semel caelesti Sponso junctus est, si ab eo divellitur, et uxorem ducit, adulterium admittere certum est, quamvis millies hoc ipsum nuptias voces; imo tanto id gravius adulterio est, quanto praestantior Deus homine. Ne quis te decipiat dicens: uxorem ducere non vetat Deus. Id ego quoque novi: Sed adulterium prohibuit; et tu admittere volebas, quod absit, ut nimirum connubio jungaris unquam. Ecquid miraris, si nuptiae pro adulterio reputantur, quando contemnitur Deus?*

(1) *Serm. seu epist. 2. ad Theodorum lapsum. T. I. Oper.* edit. Maur.

Heic profecto fateri prorsus coguntur adversarii nostri, haud facile ab aliquo inveniri posse voces loquendique formas magis perspicuas ac directas, quam quibus usus est hoc loco Chrysostomus, si nempe irritas monachorum nuptias ostendere ille velit.

Quod si V. saeculi monumenta consulere placeat, jam initio fit nobis obviam Innocentii Pontificis epistola ad Victricium Rothomagensem; in qua is statuit sacrarum virginum nuptias aeque irritas habendas esse, atque irritum illius feminae conjugium ducitur, quae, vivente adhuc viro, alteri nupserit; ideoque idem imperat, ac supra vidimus imperasse Basilium, ut scilicet iis non ante poenitentiae peragendae facultas concedatur, quam peccare destiterint. *Item*, ait, *quae Christo spiritualiter nupserunt, et velari a Sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad poenitentiam, nisi is cui se junxerunt, de saeculo recesserit. Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque, vivente viro, viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus, quanto et*

illa magis tenenda est, quae ante immortali se Sponso conjunxerat, et postea ad humanas nuptias transmigravit (1)? Cum Innocentio facit etiam Hieronymus ejus aequalis, qui et ipse *adulteras*, seu potius *incestas* virgines appellare non dubitat, quae postquam Divino cultui per consecrationem se mancipaverunt, nuptias inire voluerunt. Verba Hieronymi haec sunt (2): *Et si nupserit virgo, non peccavit; non illa virgo, quae se semel Dei cultui dedicavit. Harum enim si qua nupserit, haberet damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum objecerit, quanto magis de virginibus praevalebit, quum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quae post consecrationem nupserint, non tam adulterae sunt, quam incestae.*

Medio autem eodem V. saeculo habita est in Oriente Chalcedonensis Oecumenica Synodus; quae et communione Fidelium virginibus, mo-

(1) *Epist.* 2. *ad Victricium Rothomag. cap.* 12. *Tom.* III. *Concil.*

(2) *Lib.* I. *adversus Jovinianum.*

nachisque interdixit, qui nuptias inire audebant, et Episcopis indulgere permisit, ut ii in contracto conjugio permanerent. *Virginem*, ait Concilium, *quae se Domino Deo consecravit, similiter et monachum non licite nuptialia jura contrahere. Quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decernimus, ut habeat auctoritatem ejusdem loci Episcopus misericordiam eis humanitatemque largiri* (1). Frustra vero eo, quod diximus, jure Episcopos Concilium donaret, si prioribus aetatibus virginum, et monachorum conjugia firma et rata habita essent. Sed quaenam Chalcedonensium Patrum mens fuerit, clarius explicavit Trullana, seu Quinisexta Synodus septimo exeunte saeculo, dum monachos uxores ducentes scortatorum poenis subjecit: neque enim illos ita puniisset, si veros ac legitimos conjuges putasset. *Monachus*, inquiunt Trullani Praesules, *fornicationis convictus, vel qui ad matrimonii communionem, vitaeque societatem uxorem duxit, fornicato-*

---

(1) *Can.* 16. ex Dionys. interpretat. *Tom.* IV. *Concil.*

rum poenis secundum canones subjiciatur (1). Ubi etiam notandum est illud *secundum canones*, quo declarant se non primo eas poenas constituisse, sed antiquos canones confirmasse.

Eodemque ferme tempore, quo Chalcedonense est habitum Concilium, convocata est in Hibernia Synodus I. S. Patricii, qui primus a Sede Apostolica in eam Insulam ad praedicandum Evangelium fuit missus. In ea de virginibus idem constitutum legimus, quod Basilium in sua Canonica epistola sanxisse paullo ante diximus. *Virgo*, ait Synodus, *quae voverit Deo, permanet* (fort. leg. *permanere*) *casta, et postea nupserit carnalem sponsum, excommunionis sit, donec convertatur: si conversa fuerit, et dimiserit adulterum, poenitentiam agat, et postea non in una domo, nec in una villa habitent* (2). Virgo igitur sacra, quae nupsit, conjugem seu potius adulterum dimittere ita hoc canone jubetur, ut postea cum eo eadem domo habitare nunquam liceat. Neque aliter intelligere omnino oportet duorum Conciliorum

(1) *Can.* 45. *Tom.* VII. *Concil.*
(2) *Can.* 17. *Tom.* IV. *Concil.*

decreta, quae per idem fere tempus in Gallia celebrata novimus, Turonicum nempe I. et Veneticum. Quorum alterum haec praecipit (1): *Qui vero se sacratis virginibus per conjunctionem nefandam miscuerint, vel propositum professae religionis dereliquerint, utrique a communione habeantur alieni; quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: donec resipiscentes a laqueo Diaboli, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, ad auxilium poenitentiae revertantur.* Ab altero vero sic decernitur (2): *Eas etiam, quae virginitatem professae, et benedictionem fuerint per manus impositionem sub contestatione ipsius propositi consecutae, si fuerint in adulterio deprehensae, cum adulteris ipsarum arcendas a communione censemus.*

Mitto vero decreta hoc ipsum statuentia earum Synodorum, quae saeculo VI. et sequentibus in variis regionibus, maximeque in Gallia coactae sunt: monumenta enim vetustiora, quae hactenus citavimus, satis superque declarant cun-

---

(1) *Concil. Turon.* an. 461. *can.* 6. *Tom.* V. *Concil.*
(2) *Conc. Venet. can.* 4. *Ibidem.*

ctas Ecclesias non Occidentis modo, sed Orientis quoque omni aetate summa tradidisse consensione, conjugium initum a viris feminisque continentiam professis nullo pacto legitimum, ac ratum haberi posse. Quocirca nil mirum, si Justinianus hanc ubique receptam disciplinam confirmans, eos qui sacras virgines, aut viduas rapere, aut corrumpere auderent, morte plectendos decreverit his verbis: *Si quis rapuerit, aut sollicitaverit, aut corruperit ascetriam, aut diaconissam, aut monastriam, aut quamlibet ullam feminam venerabilem habitum habentem, hujus res ex talis sceleris participio jubemus venerabili loco, in quo talis femina habitat, per locorum sanctissimos Episcopos et Oeconomos eorum, nec non etiam cujuslibet provinciae judices ex eorum officio vindicari. Eos autem qui talia deliquerint, et participes eorum sceleris fuerint, capitale periculum sustinere* (1). Qua Justiniani constitutione simul alia antiquior instaurata est Joviani lex, qui sui Imperii initio cum rescivisset, ut auctor est Sozomenus (2), quosdam flagitiosos

(1) *Novel.* 123. *cap.* 43.
(2) Sozom. *Lib.* VI. *cap.* 3.

homines cum Deo sacratis virginibus, Juliano imperante, nuptias contraxisse, statim tanto malo occursurus isthaec edixit (1): *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantum, jungendi matrimonii causa, sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali poena feriatur.*

Ex his omnibus plane colligitur, quam vehementer labantur Launojus (2), et Espenius (3), qui opinantur post XI. tandem saeculum coepisse voto continentiae matrimonii vinculum dirimi. Ac praesertim castigandus videtur Launojus, qui ut probet Ecclesiam post Leges Romanas virginum sacrarum conjugia vetuisse, citat canonem Concilii Turonici an. 566.; nam ex hoc ipso Concilio, si canonem, quem citat, integrum legere voluisset, facile discere poterat sexto saeculo in Gallia hujusmodi conjugia veluti adulterina dissolvi consuevisse. Quod ut cuique patescat, ipsa canonis verba audire non pigeat (4).

---

(1) L. 5. *Cod. de Episc. et. Cler.*

(2) *Part.* I. *artic.* 3. *cap.* 12.

(3) *Jur. Eccles. Part.* II. *Sect.* 1. *tit.* 13. *cap.*5. edit. Neapol.

(4) *Concil. Turonicum* II. *can.* 20. *Tom.* VI. *Concil.*

Nos vero, quos lex perimi jubet, si cupiunt audire praeconem, volumus ut convertantur ad vitam. Nam perimendi sunt oris gladio, et a communione privandi, si relicta sibi decreta Seniorum observare noluerint, et Pastorem suum audire despexerint, et SEPARATI ESSE NOLUERINT. *Qui ergo in hac pertinacia durare voluerint, et plus in volutabro malae conversationis permanere, quam* SE DE VETITO CONJUGIO SEPARARE, *perenni excommunicatione damnentur.* Praeterea tum ex hoc Turonico Concilio, tum praesertim ex antiquioribus Patrum, et Synodorum decretis, quae modo protulimus, apparet decipi etiam Cavallarium, dum asserit primum Gregorium M. conjugia monachorum diremisse (1). Quapropter nihil nunc restare videtur, nisi ut nonnulla argumenta, quibus nos oppugnant adversarii, refellere satagamus.

Ac primo opponunt Augustini auctoritatem, qui de sacrarum virginum nuptiis agens: *Qui dicunt*, ait, *talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur sa-*

---

(1) *Cit. loco.*

tis acute ac diligenter considerare, quid dicant.....Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separentur uxores, quasi adulterae sint, non uxores: et cum volunt eas separatas reddere continentiae, faciunt maritos earum adulteros veros, cum suis uxoribus vivis alteras duxerint (1). Quibus ex verbis non solum Launojus, Espenius, eorumque asseclae, sed nonnulli alii quoque, qui Launojo adversantes idem de Ecclesiae in matrimonium jure, ac nos sentiunt, demonstrari aperte contendunt, Augustini aetate praeter paucos Afros reliquos omnes Ecclesiae Pastores hujusmodi conjugia rata habuisse. At minime isti advertunt, Africanum Doctorem hoc loco privatam tantum opinionem suam proponere, non vero quid Ecclesia universa sentiret, indicare voluisse. Et sane is haud ignorare poterat, dum haec scribebat, ubique terrarum, maximeque in Africa opinioni suae contrariam disciplinam in more fuisse: siquidem

(1) *De Bono viduit. cap.* 10.

in Concilio generali totius Africae Carthagine congregato, cui ipse affuerat, quodque nos supra appellavimus, clare edicitur feminas Deo dicatas, si nupserint, *adulteras* censendas, atque *adulterii crimine notandas* (1). Deinde, quod magis animadversione dignum, Augustinus ipse alibi communem suorum temporum sententiam secutus, earumdem virginum nuptias adulteria nuncupare non dubitavit ita scribens: *Virgo quae si nuberet, non peccaret, sanctimonialis si nupserit, Christi adultera deputabitur* (2). Haec profecto si considerassent nostri adversarii, haud tam fidenter Augustini testimonium pro se jactare ausi essent.

Illud vero non ferendum, quod Espenius ex laudata Innocentii epistola ad Victricium probare nititur prioribus Ecclesiae saeculis continentiae votum haud matrimonii dirimens impedimentum exstitisse, propterea quod Pontifex ibi virginum nuptarum poenitentiam post viri obitum praeceperit; additque idcirco id esse praece-

(1) *Concil. Carthagin.* IV. *can. ultimo Tom.* II. *Concil.*

(2) *Enarrat. in Psal.* 83.

ptum, ne ex poenitentia injuria matrimonio fieret, quia tunc temporis poenitentiam publicam subeuntibus conjugii usu interdicebatur (1). Nam quidquid de hac interdictione sit, de qua non est nunc tempus disputandi, apertissime Espenio refragatur Innocentius ipse, dum declarat se illud jussisse non eo consilio, quod Scriptor hic comminiscitur, sed quia idem mos de mulieribus servabatur, quae, viris suis viventibus, aliis nuberent: nisi quis credere malit ideo has mulieres poenitentia arceri solitas; ne secundis earum nuptiis injuria fieret; quod quidem nemo sanae mentis probarit. Sed praestat Innocentii verba per nos superius adducta denuo recitare, ut cuique innotescat, quam male vetusta monumenta interpretetur Lovaniensis Doctor: *Quae Christo spiritualiter nupserunt, et velari a Sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad poenitentiam, nisi is, cui se junxerant, de saeculo recesserit. Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque vivente viro, viro alteri nupserit,*

---

(1) *Citato loco.*

habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus, quanto et illa magis tenenda est, quae ante immortali se Sponso conjunxerat, et postea ad humanas nuptias transmigravit (1). Vides heic comparationem a minori, ut ajunt, ad majus a Romano Antistite institui. Quare sicut mulier, quae, vivente suo viro, alteri nubit, haud verum et legitimum conjugium contrahit, utpote adultera, etsi ejus poenitentia ad viri differtur mortem; eodem pacto, imo potiori jure quae Christo per castitatis votum conjungitur, si nupserit, irritas prorsus nuptias inire ex Innocentii mente censenda est, licet et ipsa ad poenitentiam admitti nequeat, nisi post viri obitum. Ex quo etiam apparet, cur tamdiu differri istarum mulierum poenitentiam imperarit Pontifex: valde enim verendum erat, ne ea ficte suscepta, interim peccare pergerent, nec turpia conjugia desererent. Rursus vero eadem epistola Innocentius puellis, quae continentiam privatim Deo voverant, sed non erant per velum publice Deo consecratae,

(1) *Epist. ad Victricium Rothomag. cap.* 12.

poenitentiam his verbis indulget: *Hae vero, quae necdum sacro velamine tectae, tamen in proposito virginali se promiserant permanere, licet velatae non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore poenitentia est, quia sponsio ejus a Deo tenebatur* (1). Quod sane discrimen inter virgines velatas, et non velatas ab Innocentio statutum satis est, tametsi alia desint, interpretationi Espenianae refutandae.

Iam vero in Launoji, et Espenii subsidium postremus veniens Cavallarius noster (2), praeter memorata Innocentii, et Augustini loca, Theodori quoque canonem obtendit a Gratiano sic relatum: *Si quis votum virginitatis habens adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed tribus annis poeniteat* (3). Verum ex hoc canone illud dumtaxat colligi datur, quamvis ex generali Ecclesiae disciplina dirimeretur conjugium post continentiae votum contractum, ea tamen tempestate, qua vixit Theodorus, potuisse Episcopos viris ac mulieribus ca-

(1) *Cap.* 13.
(2) *Cit. loco.*
(3) *Can.* 43. C. 27. q. 1.

stitatem professis indulgere, ut in conjugio jam inito permanerent; quod quidem posteriori aevo sibi unis reservarunt Summi Pontifices. Et sane cunctis Episcopis hujusmodi potestas per Oecumenicum Chalcedonense Concilium concessa fuerat; quemadmodum ex decreto, quod paullo ante retulimus, luculenter apparet. Quod si haec responsio non plane omnibus satisfacit, praesto est et altera, quae antiquis pariter monumentis fulcitur. Verba enim Theodori optimo sane jure de eo explicare licet, qui non publice et sollemni ritu, sed privatim et secreto virginitatis votum nuncupaverat; siquidem non parum inter utrumque intererat votum, cum illud irritas prorsus et nullas, non item hoc saltem in plerisque Ecclesiis insequentes nuptias efficeret. Cujus profecto rei luculentissimum testem damus Innocentium I. Pontificem, qui in laudata ad Victricium epistola virgines, quae velum accipiendo se publice Deo consecraverant, aperte ab iis distinguit, quae virginitatem sine sollemni hoc ritu promiserant; planeque ostendit, quid discriminis inter earum conjugia intercederet, ut ex ejus locis jam allatis fit manifestum. Unde etiam eruitur haud Gratianum primum inter *simplex* et *sollemne* votum discri-

men induxisse, eo quod Augustini, et Theodori testimonia cum sui temporis disciplina aliter conciliare nequibat, ut ei immerito exprobrat Cavallarius: vetustiori enim aetate hanc eamdem distinctionem agnitam fuisse, vel haec una Innocentii epistola abunde indicare videtur.

Ex his omnibus, quae huc usque disputavimus, satis demonstrasse adversus Launojum nobis videmur ea duo, quae initio proposuimus: nimirum et matrimonii vinculum, facto quoque ob adulterium divortio, nequaquam ex Evangelica Lege dissolvi posse; et Ecclesiae potestatem impedimenta matrimonium dirimentia statuendi divinitus delatam esse. Quare, cum nil aliud dicendum supersit, criticis hisce animadversionibus finem imponamus oportet.

INDEX

Capitum harum animadversionum.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.